Rudloff, Richardus.

De Aristophane

Euripidis irrisore....


THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

DE
ARISTOPHANE EURIPIDIS IRRISORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VIII. M. APRILIS A. MDCCCLXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
RICHARDUS ARMINIUS RUDLOFF
MARCHICUS.

ADVERSARII:
E. BORMANN, DR. PHIL.
G. DILTHEY, PHIL. CAND.
E. BRATUSCHECK, PHIL. CAND.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI OPTIMO.

> Quis expedivit, psittaco suum χαῖρε
> Picasque docuit nostra verba conari?
> Magister artis ingenique largitor
> Venter negatas artifex sequi voces.
>
> Pers. prol.

Multorum veterum scriptorum opera ad nos pervenerunt, quae quo felici casu adjuta temporum injuriam tulerint mirari possumus, cum alia summae virtutis perierint. In quorum numero ponenda videntur esse Euripidis dramata, si quorundam hominum doctorum de hoc poeta judicia respicias. Erat autem tempus, quo summa tragici admiratio viros doctos tenebat captos. Sed ex quo principes quidam philologiae Euripidis artem tragicam damnaverunt, inique de poeta judicare in consuetudinem venit. Nostro vero tempore denuo poeta per aliquod tempus neglectus majore amore et studio tractari coeptus est. Nam quamvis saepe vituperatus, tamen in poesi ejus aliquid inesse videtur, quod perpetua oblivione se obrui non patiatur.

Nituntur autem inique judicantes maxime in Aristophanis de poeta judicio idque eum in modum, ut nonnulli Aristophanis judicium cum de Euripide, tum de universa arte tragica etiam nos sequi oportere dicant. Inter quos v. d. Ed. Muellerus in libro, qui inscribitur „Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten."

Contra alii Aristophanis judicium plane rejiciendum esse censent, ut v. d. J. G. Droysenius. Quare cum res nondum ad finem perducta sit, etiam nos quid censeamus explicare conabimur.

Neminem comicus diutius vel majore petulantia insecutus est, quam Euripidem, quem ne mortuum quidem irridere destitit. Tam insatiabile ergo fuit comici odium, ut qui ne mortuo quidem parceret vel humanitatis leges laederet? An ingenui est animi, occisi inimici insultare corpori? Ignotumne ei fuit Homeri illud (Od. χ. 411)

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάασθαι?

Reperiuntur apud Aristophanem nonnulli loci, quibus virorum quorundam antea acerbissime irrisorum post mortem mentionem faciat cum laude. Ut Lamachum, quem in Acharnensibus militem pinxerat gloriosum, cum in Sicilia fortiter pugnans cecidisset, summa cum laude nominat. Thesmoph. v. 841, Ran. v. 1039. Ipsum Cleonem, quo nescio quem cum privatum tum civem magis oderit, postquam in Equitibus eum copiosius carpsit, postea occasione data vivum, ne dicam mortuum iterum in scenam protrahere noluit. Quod prorsus adversabatur ingenuo comici animo. Habemus ipsius verba Nub. v. 550

κοὐκ ἐτόλμησ᾽ αὖθις ἐπεμπεδῆσ᾽ αὐτῷ κειμένῳ,

pudor me prohibuit, quominus illi humi prostrato iterum insultarem. Cur vero ne mortuo quidem Euripidi pepercerit infra videbimus.

Cum modo dixerim, Aristophanem et privatum et civem odio persecutum esse Cleonem, tantum abest, ut privato odio commotum eum comoedias composuisse

credam, ut operam perdidisse non videar, si quid ad firmandam illam sententiam attulero, omnes Aristophanis comoedias eo consilio factas esse, ut cum quidquid in republica male gereretur acerrime vituperarent, ruenti reipublicae succurrerent, atque ex illa ingenua de comoediae finibus sententia Aristophani et apud aequales et apud posteros gloriam profectam esse meritam.

Nulla erat major apud veteres laus, quam dici bonum civem. Quanti quis aestimandus esset, unica erat judicandi norma, qualem se praeberet in republica. Quare de ullo veterum judicium laturi fieri non poterit, ut personam seorsum a reipublicae statu contemplemur. Ut Socrates philosophus plane obscurus nobis relictus esset, nisi vividam reipublicae Atheniensium quae fuerit illo vivo imaginem haberemus. Et pari modo cum quaeramus, quid nobis statuendum sit de veterum de civium suorum aliquo judicio, temporum rationem habere coacti erimus. Ut nemo mirabitur, quod Socrates a civibus capitis damnatus est, qui Atheniensium illo tempore ingenium bene noverit, etiamsi injustissime eum neci datum esse persuasum habeat.

Labante igitur jam Atheniensium republica, maxime ob neglectam juventutis disciplinam, cum gubernacula vel penes abjectissimos homines essent, nonnullos viros et eos non pessimos in republica administranda versari pertaedebat. In quorum numero Euripides et Socrates. Fluxit vero illorum virorum vivendi ratio ex temporis ingenio ipsis bene cognito. De quo ingenio, quo expeditior nobis concessa sit judicandi facultas, quippe qui quomodo se explicuerit qualemque habuerit exitum

sciamus, eo impeditior ipsis aequalibus fuit. Quare ne miremur, quod quam illi viri sibi instituerant vivendi rationem, tam singularis vel periculosa civibus visa est, ut occasione data eam vituperare vel punire non dubitarent. Cui rei nullus locus Atheniensibus datus erat magis aptus, quam commoedia. Non hic de Graecorum *παρρησίᾳ* disputandi locus est, cui quantopere publice indulgeri possit etiam nostris temporibus disceptatur; satis sit dixisse, eam ochlocratiam prosequi necesse esse, eamque ob rem nos commicis Graecis debere plurimum ad universam vitam moresque illius aetatis cognoscendos.

Euripides igitur, cum rarissime in publicum prodiret neque ad rem publicam administrandam se conferret, accepta evenit, comicis provincia.

Nobis quidem Euripidis a comico irrisi personam contemplantibus tres ejus partes in promptu sunt ad distinguendum, Euripides privatus, sophista, poeta. Quam partitionem in disputatione servare conabimur. Sed comici omnis irrisio pro comoediae finibus spectat ad Euripidem malum civem.

Loquamur igitur

I. de Euripide privato ab Aristophane irriso.

Privatas ac domesticas alterius res in publicum protrahere nos feminarum esse arbitramur. Aliter Graeci cum unumquemque semper in publico versari vellent omnisque institutio nihil aliud spectaret, nisi ut quisque bonus civis evaderet, etiam privatarum rerum curam habuerunt. Itaque comici prorsus ex voto audientium fecerunt, cum in scena vel privatas civium res

tractabant. Atque etiam Euripides privatus comicorum risum effugere non potuit. Nam jam origo ipsa ex civium opinione opprobrio ei erat. Parentes enim ejus dispari loco nati fuisse videntur. Patris quod scio apud comicos nulla fit mentio; alii scriptores nobili familia oriundum eum tradunt; nec parcae rei familiaris fuisse videtur, cum copiosam bibliothecam Euripidem possedisse constet. Matrem vero ejus oleribus vendendis quaestum sibi parasse saepius Aristophanes dicit; sic Ran. v. 840 *ἄληθες, ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ;* praeterea Thesmoph. vv. 456. 910. Acharn. v. 478 etc. et Equit. v. 19 *μὴ διασκανδικίσῃς,* qua voce, ut ait Plinius, Aristophanes Euripidi joculariter objicit matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem. De comici fide dubitari non potest, et matrem Euripidis justam ridendi causam praebuisse credamus necesse est. Cum vero nullus unquam comicus Euripidi mores pravos objecerit, num patre mortuo cum ipse honeste viveret matrem ob inopiam inhonesta uti vitae ratione passus esse putandus est poeta? Itane pietatis leges eum laesisse credamus? Itaque matrem ejus necessitate coactam infamem illum apud Graecos quaestum fecisse antequam Euripidis patri nuberet putaverim, sed agrestes rudesque consuetudines moresque *ἀγοραίους* ei semper adhaesisse.

Fortasse tragici pater, corporis pulchritudine famosae *λαχανοπωλητρίας* commotus matrimonium inierat dispar peccans in illud antiquum: *τὴν κατὰ σαυτὸν ἕλα,* cujus rei memoriam comici, nihil inexploratum relinquentes cui stilum mordacem admovere possent, postea

cum Euripides valere in republica inciperet poetae ridendi causa revocare non dubitabant[1]). Omnes fere viri, qui apud Graecos in litteris floruerunt, nobili genere nati erant, quin etiam ingenii nobilis causa principalis origo nobilis esse videbatur. Itaque cum filius *λαχανοπωλητρίας* ad summum poesis genus, tragicam artem, se conferret, critici nares corrugantes. Num quid magni, ajebant, gignere potest Nazareth? Postquam vero Euripidis patri nupsit, matrem tragici illa vitae conditione usam fuisse non putaverim. Cui meae opinioni venia detur, quippe quae neque Euripidis moribus neque comoediae ingenio repugnet. Conjiciendi enim locus datus est, cum nihil certi traditum sit.

Quo remotiorem a civium conspectu vitam agebat Euripides, eo intentiores ad omnia quae ad eum pertinerent fuisse civium oculos credamus ubi primum studiis poeticis eorum in se convertit admirationem. Quam jucundam igitur garrulis utriusque sexus materiam poetae ridendi praebuisse putemus duarum uxorum infidelitatem? Erat Euripidi sive servus, sive familiaris[2]) doctus et ingeniosus Cephisophon. Quocum postquam uxorem Choerilen per aliquod tempus adulteria committentem Euripides tulit, ut narrat vitae auctor, tandem totam illi commisit, num mirum, quod Aristophanes Cephisophontem et *παιδοποιοῦντι* et *τραγῳδοποιοῦντι* Euripidi adjutorem fuisse ludit? Qua

[1]) Matrimonia inter genere dispares illo tempore jam saepius esse inita etiam ex ficto illo ab Aristophane in Nubibus Strepsiadis exemplo conjicias.

[2]) Cfr. Elmsl. Acharn. v. 395.

experientia non satis edoctus alteram Euripides duxit; ex qua cum idem passus esset, tanto odio in mulieres affectus esse videtur, ut nullam verberandi eas occasionem praetermitteret. Certe hanc *μισογυνείας* causam comicus ei saepius supponit. Infra videbimus, num unica illa fuerit causa Euripidi mulierum vituperationis, quidque nobis de Aristophanis hujus rei irrisione censendum sit.

Instissimam vero vituperandi causam ex sententia veterum praebere videbatur Euripides ob *ἀργίαν*. Cum enim puer ingenue esset educatus et institutus, tantum aberat, ut strenui civis officia praestaturus se ad rempublicam administrandam conferret, ut prorsus e civium conspectu recedens totum philosophiae poeticesque studiis se dederet. Atque in hac re inter se differunt Socrates et Euripides, quamvis uterque saepius *ἀργίας* accusatus. Socrates enim semper in publico versabatur, nec prorsus se civibus in republica administranda subduxit; sic eum pro urbe fortiter pugnasse et semel prytanis officio religiosissime etiamsi minime ex civium voto functum esse notum est. Neque tamen *ἀργίας* crimen fugere potuit. Nunquam enim ultro se ad rempublicam gerendam contulit, quia ochlocratia prorsus adversabatur ejus de republica bene administranda sententiae. Itaque primo senex cum capitis accusatus esset verba ad populum fecit. Sed cum unicam reipublicae servandae eam relictam esse intelligeret viam, ut prorsus novum civium genus formaretur, in hac re usque ad vitae finem mira constantia versatus est. Itaque semper in publico eum esse necesse erat. Contra Euri-

pides procul a civibus fere nunquam in publicum prodibat, sed in recessu umbratilis degebat, libris occupatus. De qua vitae ratione quid cives judicaverint nos docent Periclis verba apud Thucydidem II, 40: *μόνοι γὰρ τόν τε μηδὲν τῶνδε (τῶν πολιτικῶν) μετέχοντα οὐκ ἀπράγμονα ἀλλ' ἀχρεῖον νομίζομεν.*

Itaque suo jure Aristophanes Euripidem vituperare sibi videbatur praesertim cum saepius quasi glorians studiorum tragicus mentionem faceret; sic Alc. 978 sqq.:

Ἐγὼ καὶ διὰ Μούσας
καὶ μετάρσιος ᾖξα, καὶ
πλείστων ἁψάμενος λόγων
κρεῖσσον οὐδὲν ἀνάγκας — εὗρον κτλ.

et Hippolyt. v. 378 sqq.:

ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ
θνητῶν ἐφρόντισ' ᾗ διέφθαρται βίος[1]).

Sed prae aliis insignis est locus Herc. fur. 661 sqq.:

οὐ παύσομαι τὰς χάριτας
Μούσαις συγκαταμιγνύς,
ἡδίσταν συζυγίαν·
μὴ ζῴην μετ' ἀμουσίας.

Etiamsi igitur justam ex veterum opinione ridendi causam comico praebere videbatur tragicus, nostrum de eo judicium a comico dissentiet. Non enim profecta erat

[1]) Quos versus facetessima parodia comicus irridet, cum Ran. 931 sq. Dionysum loquentem facit:

ἤδη ποτ' ἐν μακρῷ χρόνῳ νυκτὸς διηγρύπνησα
τὸν ξουθὸν ἱππαλεκτρυόνα ζητῶν, τίς ἐστιν ὄρνις.

Significat enim, Euripidem sicut Phaedram in Hippolyto noctis quietem sibi detrahere, vanis studiis deditum.

tragici illa vitae ratio ex patriae incuria vel ex ἀργίᾳ, quam Aristophanes opprobrio ei vertit. Et fabulis Atheniensibus tractatis, et sententiis de patriae amore saepe interjectis luculente ostendit, se patriae amantissimum esse. Neque dubium est, quin Aristophanes tragici a publico recessum probaturus fuerit, si eo usus fuisset ad tragoedias ad normam veterum tragicorum componendas; sed quia Euripidis tragoedia obtemperavit aetatis ingenio, contra quod comicus pugnavit, tragicus male uti tempore comico videbatur, et etiamsi ἀργίαν ei condonasset, tragoediam non condonavit. De qua re diciendi infra locus dabitur[1]).

Nec corporis habitus Euripidis effugit comici risum. Praesto est locus Thesmoph. 159 sq.:

ἄλλως τ' ἄμουσόν ἐστι ποιητὴν ἰδεῖν
ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν.

Ad quos versus v. d. Fritschius haec: „His verbis manifesto Agathon Euripidem petit collegam, quem rusticum dicit ob matrem scandicis olerumque venditricem, hirsutum vero, quod barbam aleret promissam.“ Atque Acharnensium loco facetiarum plenissimo, cum Dicaeopolis venit visum Euripidem, singularem poetae habitum spectantibus ridendum praebuisse comicum procul dubio est.

Quotiescunque vero comicus Euripidem carpsit, nullum invenimus locum, quo parvos mores ei objecerit, id quod quae est natura ejus certe fecisset, si ullam

[1]) Luculentum exemplum, quantopere Athenienses illo tempore ἀργίᾳ jam indulserint, legibus vetitae, praebet Socrates, quem civibus ἀργότατον videri necesse erat.

habuisset causam; neque aliter ceteri comici. Quam ob rem ipsum illud comicorum silentium optimum morum tragici sinceritatis est documentum.

Jam satis dixisse videmur de Euripide privato ab Aristophane irriso; transeamus igitur jam

II. ad Euripidem sophistam ab Aristophane irrisum. Hic erit locus pauca praemittendi de reipublicae Atheniensium statu qui fuerit illo tempore.

Bellis cum Persis finitis cum Athenienses et propter opes et propter ingenium totius Graeciae principatum sibi deberi non sine causa dicebant, quam Solon instituerat reipublicae formam sensim mutata est. Solon enim civium suorum ingenio bene cognito cum unum quemque civem participem esse reipublicae administrandae voluisset, *καλοῖς κἀγαθοῖς* summa rerum tributa, fundamentum civium et magnitudinis et labis jecerat. Quoad enim apud optimos cives essent gubernacula, rem publicam et florescere et stare necesse erat, sed depravatis, quod felicitatem usque sequitur, moribus, judicio de virtute corrupto, quid prohibere potuit, quo minus potentissimo cuique vel civium vel finitimorum reipublicae imperium promta eveniret praeda? Itaque jam Pericles non tam civis quam tyrannus Atheniensibus imperitaverat. Sed cum facile et ingeniosissimus et honestissimus omnium judicetur suae aetatis civium, qui nihil aliud spectaverit nisi ut patriam totius Graeciae reginam redderet, quoad ipse vixit, Athenae steterunt. At jam Pericli acerrima de summa rerum certamina subeunda fuerant. Ipse enim cum opibus undique Athenas conductis, artibus litterisque liberalissime cultis, judi-

ciis publice habitis, universo populo concionibus et participe et judice reipublicae administrandae facto, adeo civium suorum animos excoluisset, ut fere quisque se dignum existimaret, cui summa rerum concederetur, Atheniensibus ad summum quod ascendere posse videtur populus culturae fastigium adductis, semina non reprimendae ruinae sparserat.

Atque in illa tempora incidit philosophia quae dicitur sophistarum. Longum est, quae judicia a viris doctis de sophistis lata sint repetere. Satis sit dixisse, eos nunquam suam philosophiam docere ausuros fuisse, nisi ingenio publico Atheniensium adjuti fuissent. Non enim discernas, utrum illa sophistarum philosophia illius aetatis ingenii fuerit consequentia, an philosophiae illius consequentia aetatis ingenium; tam arcte inter se cohaerent. Ubi enim sophistae in republica valere coeperunt, re vera jam apud Athenienses regnabat sophistarum illud ἐγώ, cum plerique suo commodo civium salutem posthabere consuessent. Complures factiones peculiari commodo conjuratae in urbe acerrime inter se de imperio pugnabant, neque ab ipsis patriae hostibus auxilium petere dubitabant, dum modo ipsi salvi et potentes aliorum servitute evaderent. Hyperbolum, Phrynichum, Theramenem, Critiam, Alcibiadem nominasse satis erit. Protagoreum illud, hominem esse omnium rerum modum, nimis diligenter omnes vitae instituendae normam sibi posuisse videbantur. In conionibus clamores, in judiciis largitio, ubique effrenatae libidines dominabantur. Vetus religio derisui erat, cum parum honestatis inesset ipsi mythologiae, quippe quae gravissimorum vitiorum exem-

pla praeberet. Deorum personae callidi excogitatae esse dicebantur, ut potentioribus essent usui in infirmiores. Plurimum ad deorum auctoritatem labefactandam attulerant poetae, qui in omnium ore erant, cum diis omnes cupiditates et vitia tribuissent. Itaque jam Xenophanes Eleates Homerum Hesodiumque ob sententias de diis prolatas acerrime vituperaverat. Ille jam unum numen divinum esse crediderat, cui naturam deo dignissimam attribuerat. Physici omnio jam diu diis a populo creditis fidem abnegaverant, et cum quae antea deorum potentiae tributa fuerant nàturae legibus fieri demonstrarent, cives doctiores discrepare a vetere opionione coegerant.

Tantum vero abest, ut sophistas modo ad depravandos civium mores valuisse putemus, ut propugnatores et propagatores omnium litterarum artiumque putandi sint. Ante omnia orationem graecam in eum modum excoluerunt, qualem etiam nunc in operibus illius aetatis scriptorum admiramur, poetarum, oratorum, historiographorum. Summa enim orationis elegantia eos uti necesse erat, cum philosophiam moralem, politicen, rhetoricen, artem bellandi, educandi, cetera docerent, si satisfacere vellent expolitis Atheniensium ingeniis. Itaque cum a sophistis omnes ad vitam bene instituendam necessaria doceri sibi viderentur, ut plerumque fit, externa sibi summentes omnia in arte dicendi posuerunt. Quo factum est, ut quo usque sophistarum principes ipsi non progressi erant, discipuli artis dicendi vim exercendi cupiditate abrepti, nihil vel humani vel divini inexpertum relinquerent. Cui ingeniorum summae culturae

cum recti mores plane deessent, rempublicam praecipitem ire necesse erat. Quod cum pauci cives intelligerent, pauciores audacter profiteri ausi sunt. Quorum virorum fere principes Aristophanes et Socrates. Sed plane diverso modo reipublicae succurrere conati sunt ob aetatis ingenium ab utroque aliter perceptum. Socrates enim, qui necessarium temporis decursum cognovisset, cum unicam reipublicae salutem in civium animis funditus reformandis positam esse videret, per totam vitam civium institutioni operam dedit. Sed cum arma quae tunc plurimum valerent ad civium animos formandos adhibenda putaret, dialecticen, quid mirum quod cum iisdem uterentur sophistae, qui accuratius non inspicerent, non differre a sophistis eum rebantur? In quorum numero Aristophanes. Qui cum valde doleret reipublicae miseriam, quam a multitudine male administratam videbat, pristinam felicitatem redituram esse administrationis forma mutata ratus, summa cum libertate in malos cives invectus est. Sed respublica ut revocaretur ab interitu fieri non potuit, nisi quid novi et firmi civibus daretur, quo erigere se possent. Sed tale aliquid Aristophanis commodiae iis praebere non potuerunt, ut quae ex angusto de temporis indole judicio profectae essent. Nam etiamsi comicus, nullum remedium videns, nisi redirent ad pristinam morum simplicitatem, avorum felicitate vividissime depicta (Nub. *δίκλόγ.*) audientium animos in praesens commoveret: fundamenta ad stabiliendam illam mutationem plane deerant. Plerosque theatro egressos vel puduit illius motus, nec deridere veterum rudes et agrestes mores dubitabant.

Ochlocratiam suum habere decursum et pervenire ad illum finem, ad quem pervenit, necesse erat. Infinitum igitur laborem comicus susceperat, infinitum, quia deerant fundamenta necessaria; idque ipsum intellexisse posterioris aetatis commodiae probant, et dolendum est, quod ingenuus civis haec experiri coactus est. Neque tamen quidquam de ejus gloria detrectari potest, nam summa laus est, ut ait Schillerus, suae aetatis optimis viris satisfecisse, et posteritas Aristophanis comoedias semper ut pulcherrimum ochlocraticae fructum admirabitur.

Aristophanes igitur sophistas, quippe quos morum suae aetatis depravatores esse putaret in comoediis summa acerbitate persecutus est. E quibus cum nemo tanta auctoritate ei esse videretur quanta Socrates, ut omnium ejus modi hominum artes et studia semel irrideret, in Nubibus in unum Socratem quidquid sophistis crimini verti posse putabat contulit. Quam comoediam quod non talem habemus qualis primum docta est, eo magis dolendum est, cum in certamine poetarum tertio loco habita sit, nobis vero ob rem tractatam prae aliis probetur. Tum facilius de causa acceptae in certamine poetico cladis judicium ferremus, quam cladem etiam comicus eo aegrius tulit, quod rem comoedia dignissimam se tractasse sibi persuasum habebat. Ipse hoc dicit in parabasi earum quas nos habemus Nubium, ex qua vix facere possum quin pauca afferam, quia optime comici sublimem de comoediae finibus sententiam inde cognoscere possumus. Quam comici mentem auditores et certaminis judices etiamsi ceteroqui laudandam esse putabant, tamen vix dubitandum est, quin justa causa

Nubibus victoriam abrogaverint; de qua re quamvis impeditum nobis relictum sit judicium, tamen non procul a veritate videtur esse, si in Socratis persona male tractata comicum peccasse cives judicio suo significare voluisse dicimus.

Contulit igitur Aristophanes in Nubibus in unum Socratem quidquid sophistis vitio verti posse putabat. Videamus igitur, quid ex illa persona ad Euripidem a comico irrisum expromi posse putemus.

Ac primum quidem cum notum esset, Socratem semper in publico versari, a quo sophista *φροντιστήριον* illud sumsit poeta? Cui spectantium non in mentem venerit ille locus Acharnensium non ita multo ante doctorum, cum Dicaeopolis venerat visum Euripidem? Quod in Nubibus Socrati addixit domicilium, eodem in Acharnensibus usus fuerat Euripides. In nullum alium sophistam ille a publico recessus melius quadrabat, quam in Euripidem, de cujus vita umbratili jam supra locuti sumus. Etiam probabiliorem reddit hanc sententiam illud, quod Socratem meditaculo illo uti ad quaestiones de physicis comicus dicit, cum ab ejusmodi studiis Socratem prorsus abhorruisse constet. Cum vero Euripidem philosophiae physicorum esse sectatorem satis notum esset, quidquid ab hac parte in Socratem congestum est optime ad Euripidem referri potest. Atque si inspicimus illos Nubium locos, quibus quasi catalogum sophistarum, *ἀργῶν ἀνδρῶν,* studiorumque eorum habemus, v. 331 sqq. et v. 414 sqq. perpauca invenimus, quae in Socratem, plura quae in Euripidem quadrent. Sed si quaeramus, quae fuerit causa, cur comi-

cus, quem quid ad personam comoediae aptam pertineret novisse necesse fuerit, Socratis persona usus sit, praecipua causa videtur fuisse haec, quod Socrates erat civis Atheniensis; ceteri enim alicujus auctoritatis sophistae erant peregrini, quos etiamsi aegrius ferrent, urbe pellere noluerunt Athenienses φιλοξενίας causa, qua contra Lacedaemoniorum ξενηλασίαν gloriabantur (Thuc. II, 39). Nullo vero modo quantopere sophistarum pestis in urbem jam irrepsisset melius ostendere se posse comicus rebatur, quam si civem Atheniensem ut exemplar sophistae poneret. Atque hac mente Socrate utebatur, qui plurimum inter sophistas Athenienses valere ei videbatur. Accedebat scilicet causa externa, dico singularem Socratis habitum, personae comicae certe aptissimum. Sed falsus est comicus; Nubes civibus non probatae sunt. Atque causae cladis fuisse videntur hae. Primum enim Socratis personam ut consilio aptam redderet adeo distorquere et distrahere coactus erat, ut fere nihil certi relinqueretur; tum vero, quae erat ejus de comoediae finibus sententia, nimis severe civibus rem tractaverat; non enim riserat risu digna sophistarum, ut adulationem, aviditatem, ostentationem, alia, sed studia quae populo aut non spernenda videbantur, aut quorum nullam habebat curam. Quem errorem cum Eupolis in κόλαξιν evitasset, simile argumentum in scena tractatum auditoribus probatum est. Tantum de Nubibus.

At ne desiderentur testimonia, Aristophanem ejusmodi studia, qualia ex Socratis in Nubibus persona expromta ad Euripidem referri posse dixerimus, vel no-

minatim Euripidi ut sophistica objecisse, inspiciamus alios comici locos.

Etiamsi nobis non esset traditum, Euripidem Anaxagorae, Protagorae, aliorum philosophorum vel sophistarum aut discipulum fuisse aut familiaritate usum esse, illorum virorum philosophiae sectatorem ex poesi cognosceremus. Sunt qui dicant, eum primum in scena deos irridere coepisse, vel primum poetarum deorum popularium fidem evertisse. Quod non satis accurate dictum est. Cum enim Aeschylus et Sophocles, tum Pindarus coram populo religioni populari reformandae operam dederant. Notum est illud Pindari de Pelopis fabula, Olymp. 1. 28. 89:

ἦ θαυματὰ πολλά, καὶ πού τι καὶ βροτῶν φάτις ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι

et v. 53:

ἐμοὶ δ' ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν.

Longius scilicet Euripides progressus est, cum omnem suae aetatis philosophiam in scena tractare auderet. A quo conamine cum quamvis saepe primis temporibus ab auditoribus acriter vituperatus desistere nollet, temporis decursu civium animos levioribus de vetere religione opinionibus adeo exstructos habuit, ut impunitus de summis quaestionibus in scena philosophari posset. Sed quomodo illa libertate usus est? Itane, ut merito eum Aristophanes deorum irrisorem nominet? Verumne illud Thermoph. v. 451: *τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς.?*

Praeter alios dignus videtur quem laudemus versus

ille Iphigeniae Tauricae (391) *οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.*

Contemplantibus nobis Iphigeniae fabulam quo modo veteres poetae tractaverint, quo modo Euripides, statim occurret, Euripidem a vetere narratione prorsus recessisse. Et Aechylus et Sophocles Iphigeniam a patre Dianae immolatam fuisse perhibent, Euripides vero virginem ab ipsa dea servatam esse narrat. Qua re motus? Audiamus ipsum poetam v. 380 sqq.:

τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα
ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου
ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θιγῇ χεροῖν
βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη,
αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.
οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ἔτεκεν ἂν ἡ Διὸς δάμαρ
Λητὼ τοσαύτην ἀμαθίαν· ἐγὼ μὲν οὖν
τὰ Ταντάλου τε θεοῖσιν ἑστιάματα
ἄπιστα κρίνω παιδὸς ἡσθῆναι βορᾷ,
τοὺς δ᾽ ἐνθάδ᾽ αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους
εἰς τὴν θεὸν τὸ φαῦλον ἀναφέρειν δοκῶ·
οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

In primis vero accusat poetas ob pravas de diis pervulgatas opiniones, itaque (Ion. v. 452 sqq.):

...... *οὐκέτ᾽ ἀνθρώπους κακῶς*
λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν κακὰ
μιμούμεθ᾽, ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τάδε.

Et quam temere homines quidquid mali accidat diis attribuant, a poetis docti, prae aliis ab Homero, dicit Archel. frg. 24:

τὸ ῥᾷστον εἶπας, αἰτιάσασθαι θεούς·

Omnia humana a diis removere studet, inepte talia iis a poetis tributa esse dicens, sic Herc. fur. 1316:

δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ᾽ ὄντως θεός,
οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Summam sententiae suae de diis profert in Belleroph. frg. 23:

εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν οὐκ εἰσὶν θεοί.

Itaque cum specie veritatis Aristophanes eum deorum popularium contemtorem nominat. Neque tamen ob hanc rem tragicus vituperandus, quia non gaudebat irridendo et corrumpendo, sed pro veteribus anthropomorphicis diis alios auditoribus praebebat honestate insignes, vere dignos, qui hominum fata regerent. Quod regimen obscurum quidem plerumque esse, sed bonum exitum habere. Pulcherrimus est Jonis locus hic (v. 1614):

. . . . ἀεὶ δέ που
χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, εἰς τέλος δ᾽ οὐκ ἀσθενῆ[1]).

Addamus etiam Iph. Taur. v. 476 sq.

. . . . πάντα γὰρ τὰ τῶν θεῶν
εἰς ἀφανὲς ἕρπει, κοὐδὲν οἶδ᾽ οὐδεὶς κακόν

et complurium dramatum exitum:

πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων
πολλὰ δ᾽ ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ᾽ οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ᾽ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Quos igitur irridet deos, sunt inepte crediti. Neque tamen infitiari possumus, in Euripidis philosophandi ra-

[1]) Cui nostrum haec verba legenti non in mentem veniunt. Jesaiae haec (c. 28. 29): Des Herrn Rath ist wunderbar und führet es herrlich hinaus.

tione permulta inesse, quae audientium et comicorum indignationem movere possent.

Talis erat primus Melanippes versus

Ζεὺς ὅςτις ἐστὶν, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ κλύων, cui alium versum substituere, coactus est poeta. Addamus etiam:

Orest. 408

δουλεύομεν θεοῖς, ὅτι ποτ᾽ εἰσὶν οἱ θεοί.

Herc. fur. 1234

Ζεὺς δ᾽, ὅςτις ὁ Ζεὺς, πολέμιόν μ᾽ ἐγείνατο — Ἥρᾳ.

Cycl. 354. 89

Ζεῦ Ξένι᾽, ὅρα τάδ᾽· εἰ γὰρ αὐτὰ μὴ βλέπεις
ἄλλως νομίζει, Ζεῦ, τὸ μηδὲν ὢν, θεός.

Troad. 878 seq.

ὅςτις ποτ᾽ εἶ σὺ δυςτόπαστος εἰδέναι
Ζεὺς, εἴτ᾽ ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν.

Belleroph. frg. 21

φησίν τις εἶναι δῆτ᾽ ἐν οὐρανῷ θεούς;
οὐκ εἰσὶν, οὐκ εἴσ᾽.

Frg. inc. 127

πῶς οὖν τάδ᾽ εἰςορῶντες ἢ θεῶν γένος
εἶναι λέγωμεν ἢ νόμοισι χρώμεθα.

Rectissime de ejusmodi sententiis dicit Schol. ad Med. v. 300: *τοῦτο δὲ οὐ δογματίζων ὁ ποιητής φησίν, ἀλλ᾽ ἁρμοζόμενος πρὸς τὸ ὑφεστηκὸς ἦθος.* Sed audientes Euripidem a persona tragica secernere noluerunt, cum satis notum esset, eum esse sectatorem recentioris philosophiae. Huc accedebat, quod ejusmodi versus plerumque arcto et eleganti rhythmo pronuntiati facillime animis inhaerebant et in sententiarum locum redacti in

omnium ore erant. Quare in superlatione comici, *τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς* aliquid veri inest.

Sed ne credamus, Aristophanem prorsus sine deorum fide Euripidem vivere contendisse. Privatos enim ei adscripsit deos; sic Ran. 892:

αἰθήρ, ἐμὸν βόσκημα, καὶ γλώττης στρόφιγξ,
καὶ ξύνεσι καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι,

quibuscum conferendi sunt quos sophistis attribuit. Nub. v. 264 sqq. et v. 423 sqq.

Carpit facete illis versibus comicus sophistarum deos. Omnis philosophia tum erat physica, atque quo clariores fiebant leges naturae, quae antea a deorum turba regi credebatur, eo proprius philosophi accedebant ad unius dei fidem. Aethera principium mundi jam Anaximenes posuerat, quam doctrinam posteriores philosophi ita excoluerant, ut Aethera in loco Jovis ponerent, cui unico deo totius mundi regimen attribuebant. Cui fidei etiam Euripides se addixerat, quod probant hi loci:

frg. inc. 1

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ᾽ ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ᾽ ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις.
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγοῦ θεόν.

frg. 110

κορυφὴ δὲ θεῶν ὁ πέριξ χθόν᾽ ἔχων
φαεννὸς αἰθήρ.

Phrix. 6

Διὸς αἰθήρ, ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ[1]).

---

[1]) Quare Aristophanes Ran. 100 aethera *Διὸς δωμάτιον* appellat.

frg. 869

ἀλλ' αἰθὴρ τίκτει σε κόρα
Ζεὺς ὃς ἀνθρώποις ὀνομάζεται.

Summam vero sophistarum deam esse rebatur *Γλῶτταν*. Nec sine causa; nam dicendi vim sophistae adeo exercebant, ut omnes aequales dicendo superarent. Plerisque eorum illa dea laudem et divitias dedit, urbem vero *φιλόλαλον* reddidit, cum omnes fere cives sophistarum consuetudine uterentur, quippe quos ad vitam recte instituendam necessaria se docere putarent. Saepissime de hoc sophistarum imperio comicus queritur; sic in Acharnensium parabasi (v. 685 sqq.) et Nubium comoedia id maximam partem spectat, ut sophistarum dicendi vim morum corruptricem esse demonstret. Quare cum Euripides illius dicendi generis ut fere nemo alius esset potens, saepissime a comico ut sophista irrisus est. Itaque objicit ei Ran. 1069 sq.:

εἶτ' αὖ λαλίαν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας,
ἣ 'ξεκένωσεν τάς τε παλαίστρας καὶ τὰς πυγὰς ἐνέτριψεν
τῶν μειρακίων στωμυλλομένων καὶ τοὺς παράλους ἀνέπεισεν
ἀνταγορεύειν τοῖς ἄρχουσιν.

Est antiquae comoediae specie ludentis seria tractare remque publicam capessere. Itaque cum miseriae illius causas Euripidi supponeret comicus, quanta esset sophistarum auctoritas in urbe significare voluit. Et certe Euripides non pauca ad civium ingenium excolendum attulit, ut qui in theatro dominaretur cujusque tragoediae in multorum manibus essent. Utebatur autem illo dicendi genere non mala mente, sed quia unicum esse

videbat, quod expolitis civium suorum animis placeret. Quod optime noster comicus probat, cum libere confiteatur, se Euripidis dicendi generi operam dare; frg. 397:

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ
τοὺς νοῦς δ᾽ ἀγοραίους ἧττον ἢ κεῖνος ποιῶ.

Novit autem tragicus perbene orationis vim, quae quomodo adhibenda sit ostendunt Hippolyti versus 486 sqq.

τοῦτ᾽ ἔσθ᾽, ὃ θνητῶν εὖ πόλεις οἰκουμένας
δόμους τ᾽ ἀπόλλυσ᾽, οἱ καλοὶ λίαν λόγοι.
οὐ γάρ τι τοῖσιν ὠσὶ τερπνὰ δεῖ λέγειν,
ἀλλ᾽ ἐξ ὅτου τις εὐκλεὴς γενήσεται.

Atque hac mente ea utebatur, nam et morum ejus sinceritas et auditorum indignatio saepius non ita caute evitata luculente demonstrant, inique judicare, qui malam mentem ei adscribant in excolendis civium animis[1]). Est Euripides suae aetatis ingenii et ingeniosus et ingenuus aestimator, et qui sophistam eum dicere velint, ne Aristophanem quidem ei ullum sophistis proprium vitium objecisse meminerint, ut adulationem, aviditatem, ostentationem; quae ei vero opprobrio vertat, etiamsi Aristophani vituperanda visa sint, quippe qui contra suae aetatis ingenium pugnaverit, cui suum concedere noluerit jus, apud nos tragico magis laudi quam vitio esse oportere. Nam cum vetus religio Euripidi satisfacere non posset, ingenuo veritatis amore captus assidue aliquid novi et firmi statuere studuit; neque tamen

[1]) Quod judicium quam perversum sit vel ex eo conjicias, quod ita judicavit notus ille theologus Bunsenius in libro „Gott in der Geschichte" II, 427 sqq.

mirum, quod tale aliquid non invenit; nam nulla aetas fert plures Socrates, et habent sua tempora ejusmodi viri. Verum vidisse mihi videtur vir acuti judicii G. Bernhardyus, Hist. graec. lith. II. 2 p. 367: Euripides besafs weder Methode d. h. consequentes Denken in Ethik und Philosophie der Religion, noch einen positiven Grund und Rückhalt auf diesen Gebieten (gleich Socrates). Itaque nunquam aeternas honestatis leges mala mente tragicus violasse putandus est. Errasse eum interdum et ex ejus philosophia falsas doctrinas exactas esse non tam ipsi, quam aetatis ingenio tribuendum est. Quis enim, ut exemplo utar, poetae crimini vertet, quod Hippolyti illo versu, paene ad nauseam tractato, ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽, ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος ex nexu sumto usi fuerint, qui sophismatis tegere violatum jusjurandum studerent? Quam vocem jam a comicis sexcenties vituperatam tantum abest ut e tragoedia ejici velim vel vituperandam esse putem, ut pulcherrima mihi videatur, utpote psychologice, quod dicunt, verissima. Hippolytus enim cum jurejurando temere sibi obstricto nullam effugiendi occasionem datam esse videat nisi religione laesa, summo discrimine animi affectus illa verba exclamat. Nimis fere severum pinxit juvenem poeta; illa voce natura humana erumpit. Quare qui Euripidem ideo vituperandum esse censent, quod homines ita pingat, quales sint, non quales esse debeant, etiam hunc locum vituperent. Neque tamen eum hoc loco jurisjurandi sanctitatem laedere voluisse dicant; tota illa tragoedia pendet ex jurejurando sanctissime servato.

Non alienum ab re erit cum de jurejurando agatur cum hoc loco Euripidis conferre Sophoclem. In Electrae enim prologi v. 47 sq. Orestes haec:

ἄγγελλε δ' ὅρκῳ προςτιθεὶς ὁθούνεκα
Τέθνηκ' Ὀρέστης ἐξ ἀναγκαίας τύχης

et v. 61:

δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

Praecipit paedagogo Orestes, ne perjurium vereatur, ut narrationi majorem fidem faciat; et versu 61 nescio quid magis sophistam sapere possit. Atque haec Orestes sana mente, nullo animi affectu abreptus loquitur. Aliter se habent Philoctetae verba, v. 446 sqq., cum vir miserabilis impie de deorum justitia philosophatur; ea eandem habent excusationem, quam Hippolyti Euripidei· Vix tamen Orestis illa[1]).

Jam satis dixisse de Euripide sophista nobis videmur. Modo pauca de ejus cum Socrate consuetudine adjicere liceat. Sunt enim qui mirentur, quod poeta sublimi Socratis philosophiae se non addixerit, cum arctior inter eos consuetudo intercessisse videatur (cfr. omne Nubium argumentum; Ran. v. 1491 etc.). Ac primum quidem ratio habenda videtur aetatis utriusque; Euripides enim, qui admodum juvenis ad seria studia

---

[1]) Quod cum videret v. d. F. W. Schneidewinus, qui Sophoclem valde admiratur ad versum 61 haec: Mit *δοκῶ μὲν* faſst Orestes sich ein Herz, eine leicht miſszuverstehende Gnome sich anzueignen: Hier paſst, sollt' ich meinen, der Spruch . . . . . Hier paſst, sollt' ich meinen, der Spruch Göthe's:

„Im Auslegen seid frisch und munter,
Legt ihr's nicht aus, so legt was unter."

accesserat, certe jam in urbe florebat, cum Socrates etiam procul ab absoluta philosophiae ratione abesset; tum vero Euripides totum se dederat physicorum doctrinae, quam Socrates prorsus aspernabatur, ut elementa ad percipiendam Socratis philosophiam ei deessent. Itaque non ita arctam fuisse eorum consuetudinem putaverim, et modo eam ob causam Aristophanem toties eos conjunxisse, quia omnium quos habebat sophistas maximae auctoritatis esse videbantur.

Alia, quae comicus Euripidi sophistae objicit, tractandi locus dabitur in tertia commentationis parte, ad quam jam accedimus.

III. De Euripide poeta ab Aristophane irriso.

Quid spectare debeat poeta tragicus Aristophanes ipse dicit cum Aeschylum in Ranis (v. 1054 sq.) ita loquentem facit:

. . . . τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
ἔστι διδάσκαλος ὅςτις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί.
πάνυ δὴ δεῖ χρηστὰ λέγειν ἡμᾶς.

Quod fecisse Euripidem negat. Videamus igitur, num ab hoc crimine poetam liberare possimus.

Omnem Graecorum culturam arctissime cohaerere cum poesi, vel prorsus pendere ex poesi, historia luculentissime probat. Primi quorum fit mentio poetae hominibus leges carminibus tulerunt; Solon quoque civium mores carminibus excolere studuit. Nullam vero poesis genus adeo ad hominum animos formandos valuit atque etiamnunc valet, quam tragoedia. Quod cum cognovisset. Euripides non adeo spiritu poetico abreptus quam prudenti consilio ad poesin tragicam se contulit. Sed et

prodesse volunt et delectare poetae. Itaque Euripides quam Aeschylus et Sophocles sibi tradidissent artem tragicam non amplius civium animis aptam esse ratus novam viam ingressus est. Aeschyli majestas, Sophoclis lucida descriptio et sapiens quies novorum incitamentorum studioso saeculo non amplius satisfecerunt. Quae vitia Aristophanes in Ranis Euripidem Aeschylo objicientem facit, superlatione comica sublata, haud dubie pleraque pars Atheniensium Euripidis aetate Aeschylo adscripsit eadem, neque quemquam fugere potest, Aristophanem ipsum in Ranis Aeschylum leviter vituperasse.

Aliquid ad dijudicandos illius aetatis spectatores Athenienses redundaturum esse puto ex nostrae aetatis comparatione.

Berolini in theatro regio cum exempli gratia Goethii Iphigenia agitur, subselliorum vix dimidia pars impleta est spectantibus. Quid vero de illis spectatoribus judicabimus? Circiter quarta pars adest mota vero poetae et dramatis amore, quippe cujus pulchritudinem perceperit; altera pars cum clarissimi poetae Goethii drama agatur inter spectatores conspici officium sibi esse rata summam admirationem qua non percellitur affectat; reliqui aut frequentandi theatri consuetudine aut ob aliquam aliam causam adsunt, pandiculantes et nugantes. Accede postero die ad theatrum: dramatis recentis musici audiendi vel mimi spectandi cupido ad ultimum locum theatrum implevit. — Addamus etiam aliud exemplum. Cum Schilleri tragoedia, quae tractat Wallenstenii mortem, agitur, theatrum satis refertum est spectantibus; neque tamen dubium est, quin pleraque pars

adsit ob lacrimosum illud episodium Octavii et Theclae, ipsa tragoedia clarissima juxta posita. Quid? Tam exigua est verae artis vis? Inspice theatra; nugis et lascivis ludis multitudo gaudet; merus gustus ad paucos confugit.

Quae nostri temporis spectatorum descriptio quamvis non prorsus cum Graecis congruat, tamen non pauca similitudinis momenta reperiemus. In universum procul dubio multitudinis Atheniensis animi excultiores erant, quam nostrae; verae arti suam laudem semper tribuerunt; itaque *cum* multo post Aeschyli mortem tragoediae ejus iterum agerentur, etiamsi auditorum animis non prorsus placerent, tamen debitum honorem iis denegatum et pietatem erga poetam neglectam non esse putes. Jam alium apud eos tenere locum Sophoclis tragoedias necesse erat, quippe quae ab Aeschyli majestate recedentes personas propius ad naturam humanam accedentes repraesentarent. Natura humana sibi ipsi blandiens cum sui generis exemplaribus se comparare gaudet; vel in abjectissimo homine, cum sibi aliquid cum illis commune inesse sentiat, divini ejus ignis scintilla ad majorem flammam excitatur. Quam ob rem Sophoclis tragoediarum magna vis in hominum animos semper manebit eadem.

Sed sicut Aeschyli et Sophoclis tragoediae sui temporis ingenium spirabant, quid mirum quod etiam Euripidis? De mutata reipublicae Atheniensium administrandae ratione, de ingenio novis studiis dedito supra dictum est. Tragoediae si probari vellet nova via ineunda erat. Atque Euripides obtemperavit civium studiis;

ἀκολουθοῦσι γὰρ οἱ ποιηταὶ κατ᾽ εὐχὴν
ποιοῦντες τοῖς θεαταῖς (Aristot. Poet. XV).

Cui rei non repugnat, quod saepius philosophia ejus civium animos offendebat. Quidquid enim novavit, etiamsi ob novitatem primum offendebat, adeo ex voto audientium novatum erat, ut repetitum probaretur. Induxit vero novas res non solum ut delectaret, sed etiam ut prodesset. Qui vero pro vetere fide stabant poetam novatorem acriter persecutos esse non mirum. Populus vero cum ei τοῦ σοφοῦ cognomen daret satis significavit, quantopere poetam aestimaret. Quod cognomen etsi nobis quasi ironicum videri possit, certe non aequalibus, qui tribuerunt.

Sed accedamus jam ad singula.

„Per opportune ad historiam Graecae tragoediae accidit, ut idem argumentum a tribus nobilissimis poetis, et quidem his, in quibus quasi tres aetates tragoediae discretas videmus, tractaretur, eaeque fabulae omnes ad nostra tempora superstites essent.“ Haec G. Hermanni verba ad Aeschyli Choephoros, Sophoclis Euripidisque Electras spectantia nos introducant in Euripidis artem tragicam dijudicandam. Quod expeditissimum erit, si illius artem sicut fecit Aristophanes in Ranis cum magistrorum comparaverimus. Scilicet statim graves occurrunt difficultates. Primum enim cum Sophoclis Euripidisque tragoediae per se absolutae sint, Aeschylea est pars necessaria majoris carminis, quasi, si ad nostrae tragoediae oeconomiam definire velis, modo actus tragoediae, cui Oresteae nomen inscriptum est. Tum Aeschyli Sophoclisque tragoediae in optimarum numero

ponendae sunt, Euripidis vero omnium ejus quotquot nobis extant ultimum fere locum tenet. Huc accedit quod Electrae Euripideae multi loci Choephoronque plures adeo corrupti leguntur, ut vix sperare possimus fore ut conjecturis unquam sanentur. Quae cum ita sint de universa poetarum arte tragica judicium laturi ad alias eorum tragoedias saepius confugere coacti erimus.

Ordiamur a prologis.

De veterum tragicorum prologis tam multa conscripserunt homines docti, ut non ita difficile videatur aliquam novam sententiolam conglutinare, quae aliquam verisimilitudinis prae se ferat speciem.

Atque jam de verbo prologi permulta disputata sunt. Acquiescimus in ea definitione, quam invenimus apud Aristotelem in Poet. c. XII *ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου;* de parodo autem idem eodem loco: *χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ.* Itaque cum integra dramatis pars sit prologus, eam etiam, id quod postulat verbi *δράματος* vis, dramatici aliquid spirare necesse erit, id est, statim ab initio aliquid fieri, ex quo quae sequantur certis legibus explicentur. Quod non facile esse libenter crediderimus. Omnium quotquot novi pulcherrimus prologus est Schilleri nostri illius tragoediae, quae inscripta est „Maria Stuart." Veterum tragicorum facile princeps prologorum conscribendorum est Sophocles, quem spectasse Aristotelem putes, cum explicaret prologi fines. In Euripidis autem prologos potissimum cadere videtur notissimum illud Stagiritae, *καὶ ὁ Εὐριπίδης (εἰ καὶ τὰ ἄλλα) μὴ οἰκονομεῖ,* quam sententiam Aristophanis ir-

risio prologorum Euripideorum probare videtur. Euripides enim prologo ita utitur, ut auditoribus praemittat narrationem jejunam, quam si tollas utrum tragoedia damnum passura sit, annon, interdum dubitare possis. Sed falluntur qui prologum illum Euripidi proprium unicum dramatum ejus prologum esse opinantur. Omnia enim ejus dramata (Iphigeniae Aulidensis et Rhesi cur rationem non habeamus facile apparebit) duobus instructa sunt prologis, altero epico, altero dramatico. Quando enim prologum illum epicum excipit parodos? Neque tamen prior ille prologus abundat, nam etiamsi Aristophanes Euripidi per Dicaeopolin facete objiciat (Acharn. 455)

χρέος μὲν οὐδέν, βούλομαι δ᾽ ὅμως λαβεῖν

vix tamen nobis persuadeamus, ut sine certa causa Euripidem aliquid fecisse putemus.

At de causa et ratione illorum prologorum permulta disputaverunt viri docti. Ac maxime quidem arridet Schlegelii et Hermanni sententia, cum ob virorum in litteris auctoritatem tum quia sententiis certa argumenta substernere solent, dicentium Euripidem ideo illos prologos scripsisse, ut iis quidquid novaret in fabulis jam ab aliis poetis tractatis praedoceret. Quae sententia cum non prorsus vera esse nobis videatur quae censeamus breviter exponemus.

Notum est Euripidem non solum fabulas jam a prioribus tragicis tractatas, sed etiam novas in scenam edidisse. Quarum una nobis exstat, Hercules furibundus. Neque tamen deest prologus Euripideus. Huc pertinent etiam illae fabulae, quas primus tractavit Euripides

certis regionibus proprias, ut Athenienses et Macedonicas. Num in his opinioni veteri adversari ei licuerit? Omnibus autem ejus dramatis epicum illum fuisse prologum nemo negabit, quia ubique ejusdem prologorum Euripideorum generis fit mentio, sicut Aristophanes in Ranis totum illud genus irridet.

Quaeramus igitur aliam illorum prologorum causam. Fortasse aliquid ex eo concludi posset, si quo tempore poetae ejusdem argumenti fabulas docuissent accurate sciremus. Longius progredi videtur Gruppius in libro „Ariadne" inscripto, cum Sophoclem complures fabulas demum post Euripidem in scenam edidisse easdem contendat, id quod de Philocteta constat. Neque quemquam fugere potest Sophoclis posterioris aetatis tragoedias propius ad Euripidis artem tragicam conformatas esse, quippe quam auditoribus prorsus probatam esse videret. Sed mutavitne etiam prologorum instituendorum rationem? In Trachiniis certe aliquam prologorum Euripideorum similitudinem invenias, neque tamen in reliquis ejus tragoediis, quae quot habemus prologo vere dramatico instructae sunt.

Sed cum nobis proposuerimus comparare illas trium principum tragoedias, quibus Orestis Electraeque matricidium tractant, facile aliquid sequatur, si Pelopidarum fabulam inspiciamus, quomodo a poetis tractata sit. Primo enim obtutu apparebit, non ita religiose eos veterem opinionem secutos esse, sed ita mutasse, ut suis consiliis apta esset. Perpauca enim invenimus de illa fabula apud Homerum; quam cum poetae cyclici et lyrici, materiae ubertatem bene cognoscentes, commentis

uberrime exornassent, tragici summam retinentes minus graviora in suum usum transformabant. Referenda sunt huc Aristotelis haec verba (Poet. c. XIV): *τοὺς μὲν οὖν παρειλημμένους μύθους λύειν οὐκ ἔστι, λέγω δὲ οἷον τὴν Κλυταιμνήστραν ἀποθανοῦσαν ὑπὸ τοῦ Ὀρέστου;* cui matricidio cum diversissimas causas suppeditent tragici, quantopere inter se differant ingenia luculentissime probant. De qua re mox locuturi sumus; nunc quomodo fabulam mutaverint videamus.

Ac primum quidem quibus rebus inter se differant Aeschylus et Sophocles quaeramus. Jam loca actionis diversa. Aeschylus Argis, Sophocles Mycenis aedes Agamemnonis fuisse narrat. Tum diverso modo Orestem puerum ex matris Aegisthique potestate amotum fingunt; Aeschylus Clytaemnestram ipsam Orestem ad Strophium hospitem misisse dicit, ut eum ab insidiis Argivorum defenderet, revera ne prohiberetur quominus libere cum adultero degeret; Sophocles, qui omnia in Electram conferre studet, ab hac Orestem ab insidiis servatum per paedagogum fingit et apud Strophium educatum. Sed hae mutationes non ita magni sunt momenti; quae praeterea diversa sunt, ea in propria singulorum poetarum posita sunt arte tragica. Confugiamus igitur ad alias ab iisdem poetis tractatas fabulas. Habemus apud Dionem Chrysostomum in oratione 52 pulchram trium principum tragoediae Philoctetarum comparationem, qua docemur, Aeschylum et Sophoclem a vetere fabularum fide recessisse et inter se diversas fabularum secutos esse vias. Cur igitur, ut redeamus ad Schlegelii Hermannique de prologis Euri-

pideis sententiam, non eundem atque Euripides composuerunt prologum Aeschylus et Sophocles, quippe qui et ipsi a veteribus fabulis recederent?

Alterum argumentum, cur illorum virorum non satis accuratam esse putem sententiam, mihi suggessit Lessingii de prologis Euripideis judicium, quod habemus in ejus Dramaturgiae Hamburgensis p. 272 (ed. Cotta): „denn es ist klar, dafs alle die Stücke, deren Prologe ihnen soviel Aergernifs machen, auch ohne diese Prologe ganz und vollkommen verständlich sind. Streicht z. B. vor dem Jon den Prolog des Merkurs, vor der Hecuba den Prolog des Polydors weg ..... sind darum beide im geringsten verstümmelt?“

Inspiciamus jam Electrae Euripideae de qua quaestio prologum, nonne Lessingii judicium aptissime quadrare videtur? Tolle totum agricolae prologum, nihil desiderabitur, quod ad mutationes ab Euripide illatas cognoscendas necessarium sit. Quidquid enim ad expositionem dramatis pertineat, Electrae cum agricola dialogus, monodia Electrae, Electrae cum Oreste dialogus satis demonstrant, ut sit praeter illum prologum epicum etiam prologus vere dramaticus.

Quae igitur erat causa, cur Euripides tragoediis praemitteret illos prologos?

Inspiciamus illas a Lessingio accitas tragoedias, Hecubam et Jonem. Num credamus, prologos illos, cum sine detrimento actionis oblitterari possint, prorsus abundare? Nonne spectatores Hecubae, nisi prologo praemoniti essent, duarum actionum nullo fere vinculo conjunctarum offensura fuisset introductio? Poeta enim

cum id maxime spectaret, ut summam excitaret misericordiam, in unam Hecubam duos adversae fortunae casus, nihil inter se nexus habentes, conferre non dubitavit. Et Polydori prologo id quod voluit optime assecutus est. Spectatores enim praemonitos de altero Hecubae imminente casu perpetua misericordia affici necesse erat. Atque eam ob causam plures ab Euripide facti sunt prologi. Sic etiam Alcestidis prologus non solum Alcestidis mortem, sed etiam ex inferis reductionem praenarrat, ut statim ab initio spectatores de duabus dramatis actionibus certiores facti felici exitui inhiarent. Andromachae quoque prologus huc pertinet; nam ultimi prologi versus, cum de Neoptolemi impietate Andromache loquitur, auditorum animos exspectatione mali exitus implent. Accedimus jam ad Jonis prologum, cujus litura integram relinqui tragoediam non sine causa Lessingius dicit. Quidquid enim ad expositionem cognoscendam necessarium est, etiamsi oeconomia valde implicata est, ex dramate ipso perspici potest. Ingeniosissime autem idem Lessingius Euripidi ejusmodi prologi praemissi suppeditavit causam; spectatores enim summa admiratione impleri contendit, cum jam sibi nota prudenter explicari viderent. Quod etiamsi per se verum est, num Euripides de hac prologorum suorum vi cogitaverit dubito. Mihi poeta prologo auditoribus non quam fabulam, sed praecipue quomodo esset tractaturus praedicere voluisse videtur, id quod non ita supervacaneum erat, quae erat tragoediae ejus oeconomia. Nam cum poeta ut metum et miserationem commoveret, inopinatis casibus et rebus maxime gauderet, ne obscurus saepius

esset spectatoribus, prologum quasi programma praemittere coactus erat. Spectabat vero non tam ad externas tragoediae res, quam ad internas. Bene enim novit Euripides cives suos, quippe qui severi judices ne carmine quidem se falli paterentur. Itaque in tragoediis plures inveniuntur loci, quibus poeta quasi anxius, si quid novi infert, quod offendere possit, statim apud auditores se excusat. Itaque Schol. ad Orest. 128: *ἐφελκυστικὸς γάρ ἐστιν ἀεὶ μᾶλλον τῶν θεατῶν ὁ ποιητής, οὐ φροντίζων τῶν ἀκριβολογούντων;* et ad Phoen. 1485: *τίνι γὰρ ἀπολογεῖται, εἰ μὴ τῷ θεάτρῳ;*

Cujus rei luculentum exemplum habemus in prologo Electrae, ubi agricola ad spectatores haec:

ὅςτις δέ μ' εἶναί φησι μῶρον, εἰ λαβὼν
νέαν ἐς οἴκους παρθένον μὴ θιγγάνω,
γνώμης πονηροῖς κανόσιν ἀναμετρούμενος
τὸ σῶφρον ἴστω, καὐτὸς αὖ τοιοῦτος ὤν.

Quae verba quotiescunque lego risum mihi movent, neque dubito, quin idem Euripidis auditoribus acciderit. Sed optime demonstrant, quantopere auditorum rationem habuerit poeta. Electrae enim illud sine concubitu cum agricola matrimonium fingens, cum bene videret poeta auditores agricolam ut stultum irrisuros esse, cum ob rem ipsam naturae repugnantem, tum quia miratoribus albi cunni eo stultior agricola videri deberet, quod puellam regiam in justum matrimonium sibi datam comprimere non auderet, statim ob hanc inauditam fictionem se defendere conatus est, philosophia morali accita; neque tamen eum auditoribus et lectoribus persuasisse arbitror, ut bene illam rem fictam esse putarent.

Itaque Euripidem prologi jejuna narratione auditorum animos ad illa quae audituri et visuri essent praeparare voluisse contendo, praecipue ne inique judicarent, si novam in personarum tragicarum moribus depingendis ingrederetur viam. Quod cum primis temporibus quasi coactus fecisset, postea cum civium animos tragicae suae arti assuefactos haberet, adeo in consuetudinem ei venerat, ut recedere nollet. Nullus vero prologus sine detrimento dramatis oblitterari potest.

Sed cum jam justo uberius de hac re disputaverimus, redeamus ad propriam quaestionem. Quid igitur et quo jure Aristophanes in prologis Euripideis vituperandum esse censet Ran. 1206 sqq.? Euripides Aristophaneus cum in vituperandis Aeschyli tragoediis initium ducat ex obscura prologorum Aeschyleorum compositione v. 1122:

ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων

prae aliis tragico statim ab initio omnia clara et expedita ponenda esse dicit. Contra Aeschylus prologorum Euripideorum nimium tumorem carpit, quippe qui multorum gravium verborum apparatu incedentes exspectationi quam excitaverint non satisfaciant.

Itaque facete ampullas prologorum ulcera esse dicit v. 1246 sq.:

τὸ ληκύθιον γὰρ τοῦτ' ἐπὶ τοῖς προλόγοισί σου
ὥςπερ τὰ σῦκ' ἐπὶ τοῖσιν ὀφθαλμοῖς ἔφυ.

Neque injuria. Nam jejunam prologorum narrationem ut cothurno aptam redderet poeta interdum justo uberius exornavit. Huc accedit quod desideratur varietas,

cum ad eandem formam omnes fere facti sint. Itaque facetissima est Aristophanis parodia frg. 199:

ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
λιπών, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια[1]).

Sed praecipue spectat *ληκύθιον* illud ad Euripidis in prologorum versuum compositione negligentiam. Neque infitiari possumus multos prologorum trimetros non ita accurate factos esse, quod vix excusari potest nominum propriorum frequentissimo usu; sed inveniuntur etiam apud Aeschylum et Sophoclem multi trimetri, in quos *τὸ ληκύθιον* cadat. Etiamsi igitur Aristophanem quidquid in prologis Euripideis erat ridiculum et vituperandum pro sua sagacitate indagasse concedamus, non tamen ex ejus irrisione omnino damnationem prologorum exigi posse contendimus. De causis prologorum jam nonnulla attulimus; addamus etiam pauca, quo modo eorum usum sensim et deinceps se explicuisse putemus. Primis enim temporibus praemisit poeta illum prologum epicum, ut auditores certiores faceret, de nova tragicae suae artis ratione, neque quidquam narrationi immiscuit, quin postea actione ante spectatorum oculos poneret. Temporis decursu vero illa prologi ratio tam expeditum evasit poetae instrumentum narrandi res, quas actione in scena tractari artis diligentioris fuisset, ut prologus sine detrimento actionis non jam posset omitti, id quod antea fieri potuit. Ad quam sententiam probandam praesto sunt exempla. Omnium quot nos habemus Euripidis dramata vetustissimum est Alcestidis

[1]) cf. etiam Acharn. 47 sq.

nomine inscriptum; cujus prologus nihil continet, quod non actione ipsa ante spectatorum oculos ponatur in dramate, et de causa supra allata conscriptus videtur esse. Proxime accedit Medea, quae pulcherrimo instructa est prologo. Ad aliud prologorum genus pertinet Orestis; is enim necessarius mihi videtur ad consilium de Helena Hermioneque interficendis declarandum; nisi enim spectatores prologo de causa praesentiae Helenae Hermionaeque certiores facti fuissent, illud consilium plane obscurum relictum esset.

Jam ultra fines hujus commentationis de prologis Euripideis disputasse videmur; neque tamen cum tantum locuti simus facere possumus, quin etiam aliam prologorum illorum causam afferamus, cujus nobis auctor est G. Hermannus. Is enim in praefatione ad Phoenissas Euripidem perversitatis accusat, quod una tragoedia totarum trilogiarum argumenta complexus sit. Diximus jam supra, Euripidem plures actiones in unam tragoediam congessisse, quae ut vinculo quodam connexae viderentur prologos praemissos esse. Sed habemus etiam prologos, in quibus complurium tragoediarum argumenta narrantur. Sic Euripidis Phoenissae eandem tractant fabulam quam Aeschyli Septem contra Thebas, prologi vero major pars narrat argumenta tragoediarum Aeschylearum Laii et Oedipi, quae cum Septem trilogiam efficiebant. Habemus igitur in Phoenissarum una tragoedia totius trilogiae Aeschyleae argumentum[1]). Quare

[1]) Offendit in Phonissis et in choricis et alias saepius repetita mentio Sphingis; quartamne etiam tetralogiae Aeschyleae partem quatenus liceret Euripides intexere tragoediae suae voluit?

cum certas prologorum illorum causas invenisse nobis videamur, ad universam Euripideae artis rationem respicientes concedere coacti erimus, necessarium fuisse illud prologorum genus, certe expeditissimum tragicae artis instrumentum, quod cum actionis effectum tragicum non imminuat, immo augeat, quo jure damnabimus?

Addamus jam hoc loco, cum de exordio novo tragoediae inducto locuti simus, etiam de exitu tragoediarum Euripidis pauca, dico autem Euripideum illum deum ex machina. Quem cur Aristophanes non irrisit ut alia? Inspiciamus iterum tres illas tragoedias. Fabula Pelopidarum cum exhiberet matricidium Orestis de quo recedere non potuerunt poetae, Aeschylus Orestem quasi instrumentum ἄτης illius in Pelopidarum genus dominantis posuit, impulsum insuper oraculo ad impium facinus. Sed cum poetae pio minus grave scelus matricidii esse videretur, quam ut inultum esset, Orestem acriter punitum postremo per deos ipsos liberatum finxit. Sophocles vero, quae erat ejus opinio justitiae divinae, matricidium illud ut justam impietatis Clytaemnestrae poenam posuit. Electra cum Oreste non matrem occidunt, sed patris interfectricem, sancti matrimonii proditricem; matricidium illud pro legibus et divinis et humanis justissimum perhibetur, ut nulla neque a diis neque ab hominibus immissa poena interfectores sequatur. Euripides vero, quippe cui matricidium tam exsecrabile scelus esse videretur, quod nullo modo excusari posset, deos arcessivit, qui certamen officiorum componerent. Nam personarum mores non ita finxit, id quod fecit Sophocles, ut matricidium quasi necessaria

consequentia rerum et morum evaderet. Atque illo vitio multae Euripidis tragoediae laborant; multarum enim personarum primas partes agentium mores tam ambigui facti sunt, ut apta nodi solutio non exsistat. Sic in Electra Orestes et Electra a necessitate prorsus devicti viderentur, nisi deorum opera sustentarentur. Atque in hac maxime re Euripides Sophocli postponendus est. De qua re mox plura dicemus. Itaque saepius adhibere deum illum ex machina coactus erat, qui implicitum nodum sua potentia magis dirimeret, quam solveret. Est igitur etiam deus ex machina Euripideus necessarium artis ejus tragicae instrumentum, per quod diversam a vetere tragoedia in fabularum tractatione rationem auditoribus perspicuam redderet. Atque etiam illa solvendi nodi ratio, sicut prologorum adeo in consuetudinem tragico vertit, ut adhibere vellet cum non esset opus. Ut in Bacchis. Quod artificium cur Aristophanes non irrisit? Scilicet non licuit ei, id quod nobis, illam dei introductionem vituperare, quippe quae quasi pie servare deorum fidem videretur.

Eo majore petulantia invectus est in personas tragici, quae ut illam machinam adhiberet poetam coegerunt. Redeamus iterum ad tres illas tragoedias.

Apud Aeschylum et Sophoclem etiamsi misera utatur conditione Electra, tamen Euripides multo longius progressus est, cum in infimo vitae loco degentem eam fingeret. Gaudebat enim in eo, ut viros et feminas nobiles rebus adversis afflictos habitu miserabili in scenam produceret, scilicet ut misericordiam spectantium commoveret. Cfr. Iphig. Taur. 1118 sqq.:

. . . . . ἐν γὰρ ἀνάγ-
καις οὐ κάμνει σύντροφος ὢν
μεταβάλλων δυςδαιμονίαν·
τὸ δὲ μετ᾽ εὐτυχίαν κακοῦ-
σθαι θνατοῖς βαρὺς αἰών.

Quod cum a vetere tragoedia prorsus fere abhorreret — non enim huc referri potest Philocteta — comicorum eum movisse risum non mirum est. Praeter alios locos insignis est Acharnensium ille a versu 410, ubi quasi catalogum miserabilium heroum comicus affert, cum Dicaeopolin ut vitae discrimen fugiat Euripidem pannos tragoediae rogantem fingit. Quantum vero risum Aristophanem spectantibus movisse putemus, cum Euripidem ipsum pannis Menelai sui tectum in scenam protraheret Thesmoph. v. 871 sqq.? Addamus ad hos locos Ran. v. 1063 sqq. ubi Aeschylus Euripidem ῥακιοσυρραπτάδην irridet:

Aesch. πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι᾽ ἀμπίσχων, ἵν᾽ ἐλεινοὶ
τοῖς ἀνθρώποις φαίνοιντ᾽ εἶναι,
Eurip. ταῦτ᾽ οὖν ἔβλαψα τί δράσας;
Aesch. οὔκουν ἐθέλει γε τριηραρχεῖν πλουτῶν οὐδεὶς διὰ ταῦτα,
ἀλλὰ ῥακίοις περιειλλόμενος κλάει καὶ φησὶ πένεσθαι.

Est antiquae comoediae specie ludentis seria tractare remque publicam capessere. Confugit igitur ad miseriam rei publicae Aristophanes ut Euripidi responderet. Quid enim respondere potuit? Euripidem ut misericordiam commoveret et populi democratici gratia quippe summa

imis mixta videre gaudentis illas personas introduxisse nemo negabit; sed laesitne hac re tragoediae dignitatem? Id modo curandum ei erat, ne si quem ingenue natum, cui graves partes tribueret, rebus adversis implicatum pingeret, cum externis bonis ingenium nobile eum perdidisse ostenderet. Id neglexisse in depingendo dramatis Helenae Menelao poeta videbatur, ut comicis acerbissimae irrisionis causam praeberet, ut Aristophani in Thesmophoriazusis. Sed ab hoc opprobrio tragicum liberare velim. Revera Menelaus Euripideus nunquam vir fortis et nobilis est, ut studia spectantium in se trahere possit. Sunt igitur qui dicant, Euripidem Menelaum ut Lacedaemoniensem tam pravum pinxisse, neque dubium est, quin odium in hostes capitales aliquid ad mores illos pingendos attulerit. Neque tamen fieri potuit, ut motus externa causa poeta in artem induceret plane novam personam, cum etiam in hanc rem valeat Aristotelis illud, *τοὺς μὲν οὖν παρειλημμένους μύθους λύειν οὐκ ἔστιν.* Itaque Euripides, veterum poetarum certe diligens et prudens lector, Menelai sui morum lineas quasi praescriptas invenisse putandus est. Quid? nonne ex Homero omnium fabularum uberrimo fonte, Menelai Euripidei fluxerunt mores? Quando enim in Iliade Menelaus vere dignum se praebet pro quo grave illud bellum geratur? Descendit quidem in certamen cum Alexandro, melioris sui partis raptore[1]; sed non est in numero ducum certamen cum Hectore ad sortem revocantium, quin etiam carmini XVII gram-

[1]) Non enim fieri potuit, ut prorsus a poeta negligeretur.

matici lemma *Μενελάου ἀριστείας* imposuerunt, quod quo jure fecerint ego non video; neque tamen unquam eum acribus affectibus videmus flagrantem, qui sunt magnarum rerum parentes. Sapienter igitur Homerus fecit, cum Graecorum principes jurejurando obstrictos posuit ad auxilium Menelao ferendum, quod alioqui certe neque Menelai neque Helenae gratia facturi fuissent. Quid? Num artifex mores Menelao proprios expressurus virum armis in proelium ruentem repraesentaret? Helenam pingeret, Menelao juxta posito. Duxit enim uxorem Menelaus non virtute, sed flavis capillis captam, immo ductus est, vel ut verbis Martialis utar (VIII, 12) nupsit uxori[1]). Cumque Helena non careret vate sacro, ne Menelaum quidem urget perpetua nox. Quin, quicunque Odysseae librum quartum composuit Jovis genero — valebant enim tunc quoque plurimum cognationes — post secessum ab hominum conspectu dignissimum tali viro tribuit locum, campos Elysios,

τῇ περ ῥηίστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν.

Ut breviter dicam, Menelai natura jam apud Homerum tam ambigua est picta, ut posterioris temporis poetis Helenae fabulam liberiori judicio tractantibus uberrimam praeberet materiam immutandi mores, quos cum certis circumscribere vellent finibus, in malam partem eos transformare necesse erat. Idque fecit Euripides. Num primus? Fortasse jam Homerus lyricus, Stesichorus, in primo Helenae carmine Menelai quoque mores sicut famosae uxoris in judicium vocaverat.

---

[1]) *ἐκεῖνος οὐκ ἔγημεν, ἀλλ' ἐγήματο* Anacr.

Quid? Nonne etiam Sophocles in Ajace Euripidi assentitur[1])?

Etiamsi igitur Aristotelis judicium (Poet. XV) de Menelai moribus quales appareant in Oreste verum esse concedamus, tamen suo jure Euripidem in Helena sic pinxisse Menelaum, ut pinxit, contendimus, praesertim cum illud drama minime tragoediae sibi jus vindicet, sed reponi velit in singulari quodam fabularum genere, quod medium tragoediam inter comoediamque interjectum sit (ein Schauspiel). Atque ejusmodi dramata Aristophanes ad veterum tragoediarum normam dijudicavit!

Quantopere vero spectatores illius modi personis gavisi fuerint vel ex eo conjicere possumus, quod tragicus quamvis acerrime saepius a comicis irrisus ab ejusmodi spectaculis recedere noluit; bene enim novit et quaesivit quae auditoribus probarentur. Turpitudinem autem eum evitasse putabimus. Nam etiamsi Electra Euripidea modo simulacrum Sophocleae est, tamen nobis nihil habet *τοῦ μιαροῦ*.

Sed videamus jam, quales Aeschylus et Sophocles Electrae tribuerint mores. Electra Aeschylea est virgo fortis et constantis animi, fratri in ultione perpetranda audax socia, mirae pietatis erga patrem, implacabili odio in ejus interfectores affecta. Sophoclea excedere fines mulieri adscriptos videtur, est virago, cujus mores severos Chrysothemide juxta posita praeclare poeta depingit. Electra nihil aliud cogitat, nisi ultionem patris, itaque ipsa Orestem ut ultor exsisteret servavit; cujus

[1]) Non enim dubito, quin Sophoclis Ajax ita ut nunc legitur a Sophocle profectus sit.

morte nuntiata ipsa ultionis officium subire non dubitat; fortuna adversa irruens eam non affligit, sed fortiorem reddit; nusquam a natura semel constituta poeta eam recedentem fingit, ut cum mater vulnerata filii ultoris animum precibus commovere studeat duram illam vocem emittat, *παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν,* nam matrem Clytaemnestram non amplius cognoscit, cfr. 273 sq.:

ξὺν τῇ ταλαίνῃ μητρὶ, μητέρ᾽ εἰ χρεὼν
ταύτην προςαυδᾶν τῷδε συγκοιμωμένην

et v. 1194:

μητὴρ καλεῖται, μητρὶ δ᾽ οὐδὲν ἐξισοῖ.

In Aegisthi vero nece quasi luxuriare videtur. Habemus in hac tragoedia luculentissimum austeritatis illius Sophocleae exemplum, a qua nescio cur tam multi poetam postea *μέλιτταν* appellatum vindicare conentur. Qui vero totius graecae tragoediae progressionem inspexerit, in illis prioris temporis tragoediis aetatem *Μαραθωνομάχων* agnoscet; quam acerbitatem nonnulli pluris faciunt, quam posterioris aetatis dulcedinem. Comparanda videtur Electrae persona cum statua marmorea, summa arte elaborata, ut artis regula poni possit, spectantium summam admirationem vel metum commovente, inquam vero cadat Aeschyleum illud (Agam. 384)

εὐμόρφων δὲ κολοσσῶν
ἔχθεται χάρις ἀνδρί.
ὀμμάτων δ᾽ ἐν ἀχηνίαις
ἔρρει πᾶσ᾽ Ἀφροδίτα[1]).

---

[1]) Non me fugit, etiam pulcherrima tenerioris animi lineamenta inesse Electrae, idemque assentior Dioscoridae (Anth.

Prorsus aliam in moribus depingendis iniit viam Euripides. Cum enim esset non tam poeta quam philosophus, ad veritatem propius personarum mores descripsit. Itaque Sophoclei characteres quamvis excelsi, tamen ita compositi, ut cogitatione comprehendi possint, admirationem summam commovent et pulchri sensum excitant. Euripidei vero ad veritatem ficti majorem habere utilitatem in auditorum mores formandos videntur. Electra igitur Euripidea fere nihil habet, quo spectantium studia in se trahat, nisi miseram conditionem; ipsa quoque vult ulcisci patrem, sed etiam misera ipsius et Orestis conditio, cujus auctores iidem patris interfectores sunt, ad caedem eam incitant. Callide matris interficiendae consilium fert; re in discrimen ad acta anxia paene desperat; haesitantem ipsam Orestemque ad matricidium quasi furor fati Pelopidarum abripit, sui non compotes facinus committunt; caede perpetrata modo deorum auxilio sustentantur. Adversabatur Euripidis naturae personas ita pingere, ut aut in bonam aut in malam partem humanos fines supergrederentur; deduxit tragoediam ab heroibus ad homines. Atque in depingendis affectibus humanis ita excellit, ut prorsus novam tragicae artis viam aperuerit. Ac maxime quidem gaudet mulierum moribus depingendis, quos cum nimium ad veritatem describeret uberrimam comicis ridendi materiam praebuit.

Exeamus iterum de tribus illis tragoediis. De Electra jam pauca disputavimus, et qui accuratius inspexerit etiam plura inveniet, in quibus singularis Euripidis in

Pal. VII, 57) Antigonam Electramque artis Sophocleae fastigium esse dicenti; neque tamen possum, quin in sententia illa perseverem.

moribus muliebribus describendis appareat ratio, ut quantopere Euripides priorum tragicorum sublimem imaginem debilitaverit, ne dicam distorserit, neminem fugere possit. Sed multo longius progressus est in Clytaemnestrae moribus tractandis. Clytaemnestra et Aeschylea et Sophoclea etsi scelerata tamen fortis est mulier; est quasi instrumentum *Δίκης*, quod scelus in genere Pelopidarum propaget; cui cum se ipsam succubituram esse videat, fortiter mortem subiens sublimitatis sensum excitat. Quid vero Euripides de ea fecit? Profecto in illam cadere videtur, quód dicit Aristophanes Ran. v. 1043, Euripidem scorta in scenam producere. Nam etiamsi Clytaemnestra Euripidea argutius quam priorum tragicorum causas explicat, quibus commota maritum interfecerit, tamen omnis ejus vitae ratio illas causas ad nihilum redigit, et ut sophisticae appareant facit. Quod enim Electra matri objicit, eam statim post Agamemnonis in Trojam discessum vano tantum ornatui indulsisse, fidem erga maritum prodituram, mox libidini obtemperavisse, *μισθοῦ τοὺς γάμους ὠνουμένην*, id verum esse vivendi ejus ratio probare videtur. Nam vinosa adulteri epulis adest, et illa ipsa die, qua interficitur, potatum rus ad Aegisthum itura est. Num talis mater occisa misericordiam commovere potuit? An voluit poeta matre ita picta liberorum impietatem minus detestabilem reddere? Certe ejusmodi mores tragoedia indigni esse videntur neque sublimitatis sensum excitare possunt, ut non sine causa saepius comicorum vituperationem Euripidem movisse nos credere oporteat. Ceterum illae tragoediae, quas affert Aristophanes Ran. 1043 non ad nos pervenerunt.

ἀλλ᾽ οὐμὰ Δί᾽ οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενε βοίας.

Phaedrae sive Hippolyti *καλυπτομένου* memoriam oblitterare properavit tragicus illo Hippolyto, qui nobis extat, „in qua tragoedia honestati operam dedit poenitentia ictus ac temeritatem suam mulierum osor studuit corrigere" (Fritschius ad Thesmoph. v. 547). Quam vero pravi fuerint mulierum mores illo tempore, cum Aristophanis comoediae luculentissime demonstrant, tum Euripides ipse expertus erat. Praeter alios locos insignis est in Thermophoriazusis Mnesilochi oratio „plena facetiarum ac paene divina" (Fr. a v. 466 sqq.). Sed nemo fere illo tempore mulierum pervirsitatem adeo doluisse videtur, ut Euripides. Recedebat enim a vetere opione cum mulieres non solum instrumenta libidinis haberi vellet, sed in matrimonii sanctitate ob mutuum amorem servata summam felicitatem poneret. Etiam apud Sophoclem amor modo libidinem spirat, ut in pulcherrimo Antigonae cantico *Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,* et Antigona moritura id maxime dolet, quod non marito, sed Acheronti succubitura est. Sed Euripides novam dijudicandae mulierum indolis ingressus est viam, in primis in ejusmodi dramatis, in quorum numero posuimus Helenam; in iis enim mores tales invenimus, quales nos romanticos appellamus. Quod cum auditoribus valde placeret, comicorum movit risum, quippe qui pro antiqua fide starent. Aeschylus Ran. v. 1044 de se gloriatur:

οὐδ᾽ οἶδ᾽ οὐδεὶς ἥντιν᾽ ἐρῶσαν πώποτ᾽ ἐποίησα γυναῖκα,

Euripides vero saepius mulieres amantes introduxit.

Neque ullum drama eam obrem toties irrisum est, quoties Andromeda, quae quantopere placuerit Aristophanes ipse dicit Ran. 52, cum Dionysum, qui populi Atheniensis partes agit, Andromeda perlecta tanto Euripidis mortui desiderio captum facit, ut eum ex inferis reducere velit. Sed exstant etiam dramata, e quibus ita mulierum mores tractavisse Euripidem cognoscere possimus. Inter quae ambiguum illud drama Alcestidis nomine inscriptum, et Hippolytus; huc pertinet Iphigenia Aulidensis et Medea, quibus luculente ostendit tragicus, quam bene cognitam habuerit mulierum naturam. Nec parvam apud aequales illis dramatis sibi paravit laudem, quippe quorum unum, Hippolytus, primo loco haberetur, reliqua diligentissime legerentur.

Amplam vero mulieribus ubique acerrime carptis copiam ridendi praebuit tragicus, ut Aristophanes eo quo in Thesmophoriazusis usus est, argumentum comoediae magis aptum vix invenire posset ad magnam tragici in urbe auctoritatem labefactandam, etiamsi illa comoedia a priorum severitate multum recedat. Nec sine specie veritatis comicus tragicum ideo mulieribus iratum esse dicit, quia ipse ab iis mala expertus sit, Ran. 1048:

ἅ γὰρ ἐς τὰς ἀλλοτρίας ἐποίεις, αὐτὸς τούτοισιν ἐπλήγης,

et roganti Euripidi, num veritati adversentur quae mulieribus vitio vertat, rectissime Aeschylus respondet Ran. 1053 sqq.:

. . . ἀλλ᾽ ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητήν,
καὶ μὴ παράγειν, μηδὲ διδάσκειν· τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν

ἔστι διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς ἡβῶσιν δὲ ποιηταί·
πάνυ δὴ δεῖ χρηστὰ λέγειν ἡμᾶς;

et aptissime cadit in ejusmodi res Acharnensium hic versus (562):

εἶτ᾽, εἰ δίκαια, τοῦτον εἰπεῖν αὖτ᾽ ἐχρῆν;

Non vitaverat Euripides in depingendis mulierum moribus *τὸ μιαρόν.*

Quodsi in Menelao, Electra, aliis pannosis in scenam productis, de quibus supra, pulchritudinis sensum non ita eum laesisse putemus, ut turpis evaderet, tamen dubium non est, quin ira abreptus in mulierum moribus depingendis, ut in Hippolyto capite obvoluto (*καλυπτομένῳ*) et Bellerophonte, fines illos interdum supergressus sit. Poetis tragicis videndum est ne tractent.

Was man, und wär es auch gescheh'n,
Mit Nacht bedecken sollte,

ut ait nostrorum poetarum nescio qui. Suo jure igitur comicus invehitur in Euripidem Ran. 1077:

ποίων δὲ κακῶν οὐκ αἴτιός ἐστ᾽;
οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ᾽ οὗτος,
καὶ τικτούσας ἐν τοῖς ἱεροῖς,
καὶ μιγνυμένας τοῖσιν ἀδελφοῖς;

Itaque etiamsi in aliis rebus comici de tragico judicium non prorsus verum esse nobis videatur, certe in hac re.

Diximus jam supra, Euripidem novum dramatum genus invenisse, quod tragoediam inter comoediamque reponendum sit. Quae dramata cum comicus ad veteris tragoediae normam dijudicaret, amplissimam ridendi materiam praebere necesse erat. Sic in Thesmophoriazusis facetissime carpit comicus Echo, novam ab Euripide Andromedae introductam personam. Certe

non in scenam venit Echo, sed post scenam Andromedae lamentationes resonabat. De qua re quamvis expeditum judicium nobis relictum non sit, tamen vix dubitandum est, quin ideo poeta Echo introduxerit, ut ejus arte musica audientium animos delectaret. Quod civibus certe probatum erat; comicus vero ejusmodi artificia ut nugas a scena propulsare conatus est. Investigavit igitur quidquid novi Euripides in dramata introduxit, cumque ad veteris artis tragicae normam etiam Euripidis dramata dijudicaret, facere non potuit quin multa ut inepte excogitata et tragoedia indigna vituperaret. Neque tamen tragicum a via semel instituta removere potuit, quippe qui bene sciret, quidquid civibus probaretur, verae artis regulis non repugnare. Quid enim? Nonne comicus ipse cives suos sapientes esse artis judices dicit Ran. 1109 sqq.:

ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι,
βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά?

Nonne ab iisdem severis judicibus erroribus tragicae suae artis monitus Euripides quae peccaverat, corrigere studuit, ut primum Hippolytum?

Itaque quae probaverant retinuit. Atque de apparatu tragico Euripidis a comico irriso habemus, insignem illum jam saepius laudatum locum Acharnensium ubi comicus haecce: *χρέος μὲν οὐδέν, βούλομαι δ' ὅμως λαβεῖν,* et saepissime vituperat tragicum machinatorem. Sic Thesmoph. 927. Euripides gloriatur de *μυρίαις μηχαναῖς,* et ibid. 93 Mnesilochus generi consilium laudat his verbis:

τὸ πρᾶγμα κομψὸν καὶ σφόδρ' ἐκ τοῦ σοῦ τρόπου·
τοῦ γὰρ τεχνάζειν ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

De qua re jam plura attulimus. Addamus alia. Referendae hunc sunt etiam *ἀναγνωρίσεις*, quae comici illa verba Euripidi laudi verti posse probant; nam etiam Aristoteles (Poet. c. XVI) Euripidem optimum *ἀναγνωρίσεων* inventorem existimasse videtur.

Atque si inspicimus tres illas tragoedias, Aeschyli *ἀναγνώρισιν* in eum modum simplicem esse videmus, ut Euripides eam, etiamsi impie, non sine causa irrideat; Sophoclem, quamvis meliore ratione usum, tamen vitio non prorsus carere; Euripidis autem *ἀναγνώρισιν* optimam esse.

Sed qui omnem illorum dramatum oeconomiam respexerit, Sophocli victoriam adjudicare non dubitabit. Nam tam pulchra est Electrae Sophocleae cum universa oeconomia, tum *περιπέτεια*, ut Euripides gratias debere videatur Gruppio, qui in Ariadne vix sibi persuaderi posse dicat, ut Euripidem tam male post Sophoclem eandem tractasse fabulam credat. Sed diximus jam supra Electram Euripideam normam Euripideae poeseos adhiberi non posse[1]).

Diximus jam supra, Euripidem saepius in unum drama congessisse complures actiones et totarum trilogiarum argumenta una complexum esse tragoedia. Quam materiae copiam oeconomiae simplicitati nocere necesse erat. Nam etiamsi poeta, cum id maxime spectaret, ut misericordiam quam maximam commoveret, episodiis immixtis effectum tragicum augebat, tamen ob eadem

[1]) Si verum esset, quod conjecit Bergkius, hoc drama in tetralogia quartum obtinuïsse locum pro dramate satyrico, cur tanto postponenda esset Aeschyli et Sophoclis tragoediis eo facilius appareret. Ceterum illa conjectura mihi minime probatur.

artificia oeconomiae unitatem negligere coactus est. Habemus ejus rei clarum exemplum in Phoenissis. Inducit enim poeta puerum Menoeceum Tiresiam senem in scenam adducentem. Jam ipsius Tiresiae persona arcessitur, ut misericordiam et admirationem spectantium excitet; nam senex miserabilis modo Athenis Thebas venit, postquam Athenienses victores Eumolpi reddidit. Sed spectamus ad Menoeceum. Nunquam enim antea pueri in tragoedia facta est mentio, ut spectantium in se traxerit studia. Neque tamen dubitat poeta, ubi Tiresias unicam urbis ab hoste liberandae eam relictam esse viam dixit, ut Menoeceus mactaretur, puerum statim patre repugnante morti se voventem facere. Quod quamvis tragoediae per se non repugnet, tamen nullam habet necessitatis causam, immo tragoediae simplicitati et unitati obest. Ejusmodi igitur quoque fictiones, quae permultae in Euripidis dramatis insunt, spectabat comicus cum tragicum machinatorem irridebat. Ac suo jure, nam etiamsi infitiari non possumus, in ejusmodi episodiis plerumque multum esse ingenii et jucunditatis, etiamsi probant quam uber sit poetae ingenium, quia simplicitati oeconomiae nocent vituperanda sunt. Neque tamen quisquam universam tragici „machinatoris“ imminuere poterit gloriam; summa arte eum exquisivisse et aptissime connexuisse res, quae spectantium excitarent misericordiam et admirationem nemo unquam negavit, ut prorsus verum sit Aristotelis illud, *καὶ Εὐριπίδης τραγικώτατός γε φαίνεται.*

Accedamus jam ad aliam tragici negligentiam, quam ei objicit comicus Ran. 1077 sq. in catalogo rerum a tragoediae dignitate prorsus abhorrentium:

ποίων δὲ κακῶν οὐκ αἴτιός ἐστ';
οὐ . . . . κατέδειξ' οὗτος . . . .
καὶ φάσκουσας οὐ ζῆν τὸ ζῆν;

Peccare videtur Euripides comico in eo, quod saepius personas res ab ipsarum indole et eruditione alienas proferentes faciat. Sic Hecuba philosophatur, neque aliter chori, etiamsi, ut plerumque apud Euripidem, constant ex mulieribus; omnino quae est ejus tragoediae ratio cuique personae occasione data philosophicas sententias et disputationes tribuit, utrum naturae conveniant annon nimis incuriosus (cfr. Med. 1071 sqq. Ran. 948 sqq.).

Itaque poetae servum sapientem (Cephisophontem?) Dicaeopolis facete admiratur Acharn. 400:

. . . . . ὦ τρὶς μακάρι' Εὐριπίδη,
ὅθ' ὁ δοῦλος οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται.

Excusat se ipse de hac consuetudine poeta Ran. 952:

δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων.

Et placuit certe plebi, si quem sui similem sapienter de summis rebus philosophantem audiret. Sed quid prohibere potuit, cum haberetur tragoedia optima rerum expetendarum praeceptrix ne sibi ipsi quisque eandem facultatem et libertatem concessam esse crederet? Nulla alia re tantopere philosophica suae aetatis studia divulgare potuit tragicus, quam si in scena ipsum populum ea tractantem faceret. Itaque saepissime comicus in Euripidem poetam ut sophistam invectus est, de qua re jam supra locuti sumus. Sed addamus etiam pauca de usu philosophiae qui fuerit in scena Atheniensi Euripidis tempore. Praesto est iterum Lessingius. Is

de usu sententiarum in tragoedia disserens de theatro Atheniensi in Hamb. Dramat. I p. 16 haec:

„Es ist nur ein Athen gewesen, es wird nur ein Athen bleiben, wo auch bei dem Pöbel das sittliche Gefühl so fein, so zärtlich war, dafs einer unlautern Moral wegen Schauspieler und Dichter Gefahr liefen von dem Theater herabgestürmt zu werden."

Notum est vel Aeschylum, saepius vero Euripidem audientium indignationem movisse, cum parum religiose philosophari viderentur. Neque tamen illo tempore cum summa florebat gloria Euripides, ultimis ochlocratiae temporibus, eos fuisse auditores Athenienses putemus, quales Lessingius perhibet. Tunc ut in republica administranda, sic in arte omnes novissima quaeque captare, antiqua spernere, poetas voluntati ipsorum maxime obtemperantes laudare, irrisionibus veteris religionis et morum vel gaudere. Atque Euripides obtemperavit civium ingenio. Cum enim de via semel instituta non aberraret, suae tragoediae justam esse rationem videns, ingenio civium temporis decursu perpolito, in dies magis acceptam reddidit poesin, ut in fine vitae in theatro prorsus dominaretur, et etiam Sophocles, ne dicam de aliis poetis, aliquid de ejus arte tragica sibi sumeret.

Quae philosophemata antea impia esse videbantur vel ridicula mox omnibus probata sunt, neque alter artifex aut philosophus adeo ad Atheniensium ingenia excolenda valuit ut Euripides. Sed si quid ars Euripidea ad civium mores depravandos attulit, non tam tragico quam pravo saeculi ingenio adscribendum est. Certe et sophistarum doctrinis, ut supra diximus et Euripidis arti tragicae suum jus concedebat saeculum. Qui vero

dixerit, poetam saepius coactum fore, ut verae artis leges laedat, si auditorum studiis indulgere velit, plurimorum Euripideae artis tragicae vitiorum veram causam deprehenderit. Sed quotusquisque est, quin sui temporis ingenio inserviat?

„Das Jahrhundert reiſst sowohl den willigen als unwilligen mit sich fort, bestimmt und bildet ihn, dergestalt, daſs man wohl sagen kann, ein jeder, nur zehn Jahre früher oder später geboren, dürfte, was seine eigene Bildung und die Wirkung nach auſsen betrifft, ein ganz anderer geworden sein“ (Göthe, Vorwort zu Dichtung und Wahrheit). Quid? Pugnantia te loqui non vides, qui supra acutos fuisse artis judices Athenienses dixeris? Recte admoneor, ut sententiam illam supra allatam circumscribam. Primis enim Euripidis temporibus eos fuisse auditores, quales supra diximus, credendum est; sed temporis decursu inter miserias diuturni belli cum prave respublica gereretur incredibili fere celeritate studia depravata sunt; atque Euripides quoque saeculi sui vi abreptus est, nisi forte credas, eum etiamsi civium suorum perversitatem perspexisset, ne amitteret quem sibi parasset in scena principatum, arti injuriam facere quam loco se pelli pati maluisse, cum se saeculi ingenium repressurum non esse intellexisset.

Quo rerum statu comicorum certamina quippe contra aetatis ingenium gesta irrita esse necesse erat; singula quaedam propulsare potuerunt, omne ingenium non potuerunt. Quamquam Aristophanes ut omnem Euripidis philosophiam irrideret et suspectam redderet optimam ingressus est viam cum sententias quasdam ex nexu

sumtas facetissimis parodiis prorsus profligaret. Nihil enim ad rem debilitandam vel plane evertendam adeo valet, ut risus. Cum enim comicus auditorum ingenii subtilissimus aestimator bene sciret, non tam attentos esse audientium animos ut accurate discernerent, quid Euripides ipse sentiret, quid ex agentium praesenti animi affectu flueret, ejusmodi sententiis irrisis omnem poetae philosophiam in nihilum redigere studuit. Ut Hippolyti illum versum, de quo supra dictum est. Atque ab illo conamine comicus non destitit quoad fieri posse ut reipublicae labes inhiberetur putabat. Eaque erat causa, quod ne mortuo quidem Euripidi pepercit in Ranis. Non enim verum erat, quod dicit Aeschylus Ran. 868:

ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,
τούτῳ (τῷ Εὐριπίδῃ) δὲ συντέθνηκεν.

Voluit comicus rei publicae causa, una cum Euripide poeseos ejus auctoritatem periisse; nam respublica in summum discrimen adducta novis adminiculis fulcienda videbatur, quippe quae Euripidis tragoedia non haberet, sed Aeschyli, qui in scenam edidisset (Ran. 1016):

πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας,
καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους,
(et v. 1022)
ὃ θεασάμενος πᾶς ἄν τις ἀνὴρ ἠράσθη δάιος εἶναι.

Neque magis opportunum tempus comicum invenire potuisse, cum omnium animi desiderio pristinae felicitatis erant capti luculente probabat universus populus Ranis applaudens; et bonum civem et bonum poetam cives comicum habuerunt laudandum. Neque tamen mirum, quod rempublicam ruentem sustentare non valuit.

Restat ut de lyricis tragoediae Euripideae partibus loquamur, de choricis et monodiis. Nulli hujus disputationis parti tractandae vires meas tantopere impares esse, quam huic libere confiteor. Sed ne imperfectam eam relinquam quid censeam breviter exponam.

Diverbii, nervorum tragodiae, Euripidei formam elegantem et pulchram comicus ipse laudavit, multumque se tragico debere confessus est (cfr. frg. 397 jam supra laudatum). Sed partium lyricarum formam quoque carpit.

Atque contemplantes nos canticum illud, quod in Ranis v. 1308 sqq. instar Euripideorum comicus composuit, praecipue argumentum offendit. Significat Aristophanes, Euripidem chorum introducere, canentem quaesitis verbis res levissimas, ridiculas, nihil ad fabulam pertinentes. Atque si inspicimus Electrae jam saepius accitae primum stasimum, ex quo in illa parodia duo versus sumti sunt, comici irrisionem non ineptam esse concedemus. Canit enim chorus res a fabula prorsus alienas, quas quomodo fabulae adaptare conetur, eo nihil magis quaesitum cogitari potest. Et ejus modi permulta inveniuntur apud Euripidem chorica.

Tum carpit Aristophanes canticorum negligentem vel tragoediae ineptam artem musicam, quacum re arctissime cohaeret tertia vituperationis causa, rhythmorum novorum introductio. Gaudebat enim Euripides mollibus rhythmis, quod cognoscere licet ex dochmiorum et glyconeorum multiplici usu et leviore compositione; solutiones quam plurimae volubilem reddunt rhythmum, ut concitati animi motum significent. Recedebat a severa versuum compositione Euripides, multa ausus, quae cum

normis veteribus adversarentur falsa esse videbantur[1]).

Sequitur in Ranis hanc choricorum parodiam statim similis monodiarum, novi ab Euripide tragoediae immixti canticorum generis, quod a comico etiam acrius vituperatur, cum ob ipsam novitatem, tum quia ad vitia in choricis vituperata etiam alia monodiis peculiaria accedere videbantur. Praecipue rhytamopoeia legibus plane soluta veteri arti repugnabat, cum nulla stropharum esset cura; huic licentiae metricae adaptata esse videbantur confusa argumenta, levia et nulla certa lege dispertita, vario et vano verborum ornatu exstructa[2]). Cum de Euripide lyrico loquamur addere liceat, Aristophanem cum vituperatione ei adscribere etiam scolion novum et lascivum genus Nub. 1370. Fortasse movit comici reprehensionem oratio nutricis Medeae v. 190 sqq. Sed illo loco comicum pro omnibus etiam poetis a veteribus formis recedentibus Euripidem posuisse credo. Quia Euripides illius aetatis poeta erat maxime celebratus et novae poeseos princeps, cum scolii ingenium illo tempore esset depravatum, Aristophanes superlatione comica illius mutationis auctorem eum esse dixit.

Aristophanem secuti permulti homines docti iniquis-

---

[1]) Ejusmodi versus falsos pro veteribus regulis in parodia illa Aristophanes composuit; sic v. 1322 glyconeus falsam habet basin, anapaestum. Multifariam et lege solutam rhythmopoeiae rationem Euripidis significant v. 1327 sq. *ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν.*

[2]) Lepidissima quia prorsus Euripideam artem spirans est parodia monodiae Andromedae Thesmoph. v. 122 sqq.

sime de Euripide canticorum compositore judicaverunt. Sed ad nullam tragicae ejus artis partem dijudicandam cautius non accedere debere puto. Nam etiam Aristotelis illud: Pot. XVIII) *καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥςπερ Εὐριπίδης ἀλλ' ὥςπερ Σοφοκλῆς,* non prorsus accuratum est, si omne dramatis ingenium respicimus. Si Graecae quidem tragoediae totum decursum contemplemur, Sophocles pro natura tragicae Graecorum artis optime choro usus esse videtur, qui mira arte canticis quasi perpetuum commentarium actionis praebeat. Apud Aeschylum plerumque choro pars actionis tribuitur; chorus Sophocleus autem prorsus extra actionem positus est; favet quidem personis quibusdam iisdemque honestis cum fortuna adversa pugnantibus, neque tamen intelligentia, quae excedat naturam humanam. Est interpres philosophiae practicae. Euripides vero cum omnem dramatis vim in actione ponendam et chorum non necessarium esse videret, quia prorsus eum rejicere non potuit, quippe quem tragoediae parentem plane removeri cives passuri non fuissent, mutatum et in arctum contractum ita instruxit, ut gratissimum eum auditoribus fore sperabat, philosophantem et novis rhythmis utentem. Atque quo magis perfecta est ars dramaturgiae eo minus juris tributum est choro, ut posterioris aetatis poetae, qui ad summam perfectionem dramaturgiam adduxerunt, eo non jam uterentur.

Atque jam ipsa tragoediarum Euripidis argumenta fecerunt ut inepte saepius chorus introductus videretur. Cujus rei luculentum exemplum habemus in Medea. Ibi enim forma quidem choricorum proxime accedit ad ve-

teris tragoediae chorica; sed quam absurde poeta propterea quod chorum removere non poterat, quaedam moliri coactus est? Choro Sophocleo semper dignum canendi materiam praebent ipsa tragoediarum argumenta; Euripides vero saepissime res ab ipsis fabulis remotas canentem chorum facit, cum ipsa dramatum argumenta aptam non praebeant materiam; itaque saepissime nos offendunt descriptiones ultra fabulae modum exornatae, scilicet ut cothurno adaptatae videantur. Eaque sunt *ἐπύλλια* Euripidea acerrime a comico carpta. Quibus canticorum argumentis adaptata erat ars musica. De vetere autem arte musica pauca et tam incerta nobis tradita sunt, ut absolutam ejus imaginem non habeamus. Notum est, quantopere diu ad educationem valuerit musica. Sed temporis decursu, num mirum quod severi illi et tristes modi antiquitus adhibiti leviori Atheniensium ingenio non jam probati sunt? Sequebatur igitur etiam Euripides novorum musicorum rationem, neque ignobili eum usum esse artifice in musica lyricis partibus adaptanda cum ex aliis rebus tum ex eo conjicere possumus, quod Timocrates, quo utebatur, natu fuit Argivus, quos in arte musica floruisse prae ceteris Graecis traditum est[1]). Aristophanes quippe mirator temporis acti etiam hanc novationem vituperat. Sed cum jam in aliis rebus, tum certe in hac ejus judicio diffidere nobis licet. Nam ne dicamus de vetere

---

[1]) Quam acute Euripides etiam mutata civium suorum artis musicae studia dijudicaverit, luculente probat ejus cum Timotheo, dithyramborum poeta consuetudo, quem explosum tragicus consolatus est, artem ejus in theatro mox dominaturam esse praedicens.

musica ab Atheniensium ingenio prorsus abhorrente, de novis artis tragicae argumentis, quis contendere ausit, eam classicam quod nos dicimus fuisse, ut quaevis ejus mutatio exstiterit depravatio? Comparanda videtur vetus illa musica cum nostra ecclesiastica, vel quam dicunt severam; et quamdiu tragoedia quasi deorum cultus erat, certe ei aptissimum severum illud musicae genus erat, prorsus vero alienum ab Euripidis tragoedia, a diis heroibusque ad homines delapsa. Aeschyli tragoedias comparare possis cum oratoriis et cantatis, Euripidis dramatum partes lyricas cum dramatis musicis nostris, etsi in iis musicae non adeo ratio habebatur, ut dictio pro illa plane negligeretur, sicut saepe apud nostrates. Vix tamen dubitaveris, quin auditorum gratia in illis musica praevaluerit, et partes melicas audiri quam legi poeta maluerit[1]).

Itaque nostrum de melicis partibus dramatum Euripidis judicium, si cum Aeschylo et Sophocle eas comparamus, non iniquum esse non potest, nisi musicae nobis ignotae rationem habemus. Leviorem mollioremque musicam Euripides adhibere coactus erat et ob audientium studia et ob dramatum suorum argumenta. Aristophanem autem recentioris illius musicae irrisorem facile comparare possis cum iis, qui ejicere volunt etiam ex nostris theatris Mozarti modos, quippe cruorem auditoribus fervidiorem per venas pulsantes.

[1]) Qua ex re fortasse conjicias, cur choris ex mulieribus compositis poeta tantopere gavisus sit. Etiamsi enim viri partes muliebres agebant, tamen tales eligendi erant, qui canerent acuta voce (Tenöre), ut quae habitui muliebri apta esset. Quibus modis Athenienses tantopere delectatos esse verisimile est, quantopere posteriora saecula cantoribus castratis.

Quid igitur de Aristophane Euripidis irrisore statuemus? Omnis Aristophanis comoedia cum id spectaret, ut quidquid in republica male gereretur acerrimae subjiceret censurae, per se laude dignissima est. Sed quae erat ochlocratiae natura fieri non potuit, ut reipublicae labes inhiberetur iis remediis, quae comicus commendabat. Quod enim depingit vividissimis coloribus tempus, *Μαραθωνομάχων* gloriosa aetas reduci non potuit. Sicut enim fieri non potest, ut homo adultus redeat ad simplicitatem puerilem, sic populus quidquid agat certis legibus facere edoctus non eo reduci potest, ut quasi inscius honeste agat.

Quod cum perbene intellexisset Socrates, idem spectans quod Aristophanes, unice veram ingressus est viam. Docuit enim cives, libertatis ambitiosissimos, id quod unice reipublicae ruinam reprimere valuit, certiis a diis hominum pectori insitis legibus agere, quae vera esset libertas. Aristophanis vero labores, quippe cui deesset altum illud de aetatis suae ingenio judicium, etsi in praesens aliquid boni efficere poterant, in universum irritos esse necesse erat.

Sunt qui dicant, etiam Aristophanem ipsum suae aetatis ingenio indulsisse; quod laudaverit tempus ipsi prorsus ignotum fuisse; et probare sententiam ipsorum dicunt ipsius Aristophanis irrisionem deorum, in civium pravis moribus depingendis non raro petulantiorem quam severiorem censuram. Qui sunt, ajunt, illi nobiles cives, quorum partibus Aristophanes favet? Illine de quibus

Ran. 741 .... *πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας,*
ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον?

An Catullo concedemus (XVI, 5. 6).

Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est?

Certe nobis ingenuus comici animus laudandus est, qui vero patriae amore ductus ne gravissimas quidem inimicitias subire dubitaverit; neque civium studia eum adeo secutura fuissent, ut secuta sunt, nisi eum bonum civem aestimassent. Scilicet si quid peccavit ei non indulserunt. Immo subtilissimi judices quo quis plus ingenio valere videbatur, eo severius judicabant; quod haud dubie etiam Euripides saepius expertus est[1]). Itaque Nubibus tertio loco habitis comico quamvis spectato significare voluerunt, quantopere peccasset in argumento tractato. Sed illos Nubium errores, quos supra attulimus, evitavit comicus in Ranis. Mira enim arte quidquid in Euripide poeta irrideri poterat risit; neque tamen dubitandum est, quin tristis animorum ob rei publicae miseriam status multum ad victoriam attulerit. Aeschylum spectatum civem et pie cultum poetam, testem aetatis virtutibus florentis oppositum Euripidi, malo civi, facetissimis comici parodiis irriso, afflictis audientium animis maximum sui et suae aetatis desiderium movere necesse erat. Socratis persona in Nubibus adeo distorta et depravata erat, ut amplius cognosci non posset; Euripidis vero in Ranis, etiamsi et ipsa distorta, tamen tantum veritatis retinet, ut ex superlatione semper vera forma eluceat. Sed ne putemus populum Atheniensem

[1]) Vix aliam causam invenias, cur tam paucas reportaverit victorias tragicus. Quae vitia aliis poetis minore ingenio praeditis auditores condonabant, non Euripidi.

sibi adimi Euripidem pati voluisse; nimis eo gaudebat, et quantopere illi sui potestatem fecisset persona Dionysi lepidissime ostendit. Itaque comico nulla alia reducendi ex inferis Aeschyli pro Euripide relicta erat causa, quam quod Aeschylus melior fuisset civis quam Euripides. Atqui jam circiter sexaginta annis ante Aeschylus cives suos reliquerat, quippe quos in se et civem et poetam injustos fuisse putasset. Quantopere autem interim Atheniensium ingenium mutatum erat!

Sed ut jam finis fiat, Aristophanis de Euripide judicium nos sequi non posse arbitramur, quippe qui Euripidem nisi comparatum cum veteribus poetis non judicaverit, et qui principiis ejus aetate inter se pugnantibus, partium suarum studio abreptus, necessario aetalis ingenio suum jus non concesserit. Sed tantum abest, ut de ingenii ejus praestantia aliquid detrahere velimus, ut quantum licuerit acutum poesis aestimatorem eum fuisse concedamus, id quod facetissimae parodiae luculentissime probant. Id tantum velimus, ne nostro quoque tempore, cum universam Graecorum historiam et poesin ad dijudicandum relictas habeamus, ejus judicium quasi unice verum ponatur. Eum in multis rebus verum vidisse certum est, et Aristotelis judicium saepius cum eo congruere videtur; neque tamen possumus, quin eum de universae tragoediae regulis judicem adhibendum esse negemus, cum Euripideam tragoediam e temporibus indole prodisse non viderit vel videre eique suum jus concedere noluerit. —

VITA.

Natus sum Richardus Arminius Rudloff a. h. s. XLI. mens. Aug. die XXV. in vico Marchiae Stepenitz, patre Arminio, pastore, matre Carolina de gente Kirchner, quos adhuc superstites mihi servavit Deus O. M.

Primis litterarum elementis domi imbutus, puer XI annorum traditus sum gymnasio Vitebergensi, quod etiamnunc ab A. Schmidtio egregie regitur. Biennio ibi peracto alumnus factus gymnasii regii Joachimici Berolinensis, tunc A. Meineckio, nunc G. Kiesslingio rectore florentis, quia civis classis secundae superioris severas scholae leges laeseram, pulsus, a viro humanissimo Bonnellio in numerum civium gymnasii Friderico-Werderani receptus sum. Auctumno a. LX. maturitatis testimonio munitus, universitatem Friderico-Guilelmam adii, philologiae studiis me dediturus. Duobus semestribus ibi absumtis ad universitatem Viadrinam me contuli, ubi postquam per annum versatus sum Berolinum reversus studia per tria semestria persecutus sum.

Per illos septiens sex menses auscultavi virorum horunce doctissimorum praelectiones: Boeckhii, Droyseni, Gepperti, Gruppii, Haasii, Hauptii, Niedneri, Roſsbachii, Trendelenburgii, Werderi, Westphalii, qui viri omnes, quantum me adjuverint in studiis colendis semper animo servabo grato.

THESES.

I.

Catulli car. LXI. v. 46 sq.: ita legendos esse contendo:

> Quis deus magis est ama-
> Tis petendus amantibus.

II.


In vita Sophoclis (§. 12) pro aperte vitioso: *Τὸ πᾶν μὲν οὖν Ὁμηρικῶς ὠνόμαζε* legendum esse puto: *Ὁμηρικὸς ὢν νομίζεται.*

III.

Aristophanis Ecclesiazusae nihil spectant ad Platonis Reipubl. lib. V. paradoxa.

IV.

Carolus XII. Sueciae rex gloriam nactus est immeritam.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 059 541 5
